31
3-D
20

Ex Bibliotheca
PP. Coll. Rom.
Societ. Jesu

6
18 I
46
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

S 37 ½

Google

Gun

Benedictus tiſsot miſsionis
Gallicæ Procurator illum Dono
dedit Dno: josepho Paolucci
1763

PERILLUSTRIS VIRI

NIC. BOILEAU DESPREAUX OPERA,

E GALLICIS NUMERIS IN LATINOS TRANSLATA

A D. GODEAU, antiquo Rectore Univerſitatis Studii Pariſienſis.

Acceſsère ad calcem quæ reperiri potuerunt Poematum tanti Auctoris in Latinos modos redditorum ab illuſtrioribus ejuſdem Academiæ Viris, ROLLINO, ſcilicet, GRENANO, BIZOTO, VAESBERGIO aliiſque.

BIBLIOTECA
ROMA

PARISIIS,

Sumptibus BARTHOLOMÆI ALIX, Bibliopolæ, viâ San-Jacobæâ, juxta Mathurinenſes, ſub Gripho.

M. DCC. XXXVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

UMBRA GODELLI,

AD SUUM LIBRUM.

PHALÆCIUM.

*D*ULCIS *ſpes mea, Nate, quid moraris?*
Taces! fare mihi: an diù petita
Pars noſtri tenebris adhuc jacebit?
Quâ nil ſplendidius, politiuſque,
Quâ nil cultius, elegantiuſve;
In quâ Roma vetus ſonis reſurgit,
Ex quâ Gallia præpotens ſuperbit.
Quis te ardet magis, æſtimatve pluris,
Liber, nunquid ego? & tamen relinquor!
Noſtrum ah! te moveat decus, latere
Tuam, ſit pudor, eruditionem.
Nil te immittere lumini timendum,
Noſtris auſpiciis: abi laborum
Hæres; nec mora, te loquor: quod Orbis.
Ardet, prome; animos doce, jocando.
Jam victor tineæque, Zoilique,
Ibis per populos, domos & omnes
Regum; te velut aureum fovebunt,

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Et ſales, venereſque, gratiaſque
Verſuum, ore avido legent, tuorum.
Quæ nunc ludicra, nunc ſeveriora
Cantas, deliciis gravem Catonem
Elident, numeris ſenes movebunt,
Et multò juvenes magis docebunt.
Cedent cuncta tibi: Getæ & feroces,
Et quos triſtis apex alit Promethei,
Axe & quos medio dies perurit,
Ex te, late, graviſque veri amator,
Diſcent & magis ac magis politos
Mores, & minùs ac minùs feroces;
Diſcent & magis ac magis venuſtos
Mores, & minus ac minus ſalaces;
Quin diſcent latices meros jocorum;
Decus Galliæ, & uberes Camænas
Diſcent, artium & uberes catervas;
Quin legum & Sophiæ ſacros lepores.

Bollæum eximium ora quot ſonabunt!
Godello ſimili ora quot favebunt!
Exi, poſthume, te loquor: quod Orbis
Ardet, prome: animos doce jocando.

PERILLUSTRIS VIRI

NICOLAI BOILEAU
OPERA.

PROLOQUIUM
SATIRIS PRÆFIXUM,

AD

LUDOVICUM MAGNUM.

DUm ſic difficiles rerum moderaris habenas,
Ut tua nil lentis ſapientia debeat annis,
Magnanime O! Lodoix, ſed primo flore juventæ
Vix dum pubeſcens, unus tibi norma regendi
Imperii, nullo officium dictante Miniſtro,
Cuncta oculis vigil obſervas, Regis omnia dexter,
Juraque more Deûm populis das arbiter ipſe.
Iſtæc quod tacitâ fuerint indicta Camenâ
Hactenus, hoc culpæ Vati dare, Maxime parce
O Lodoix! duce conſilio, ratione magiſtrâ

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Calliope ſiluit, nec enim unquam laudis avara;
Pondereque ancipiti pendens, tibi thuris honores
Pendere promeritos hæſit, natale ſed aſtrum
Qui fingit Genius, renuit mihi dexter adeſſe,
Atque impar oneri, medio in conamine victus
Deficit & radiis latè ſplendentibus ictus
Obruitur, veritus lauri immortalis honorem
Deſerere, auguſtæ ut certat decus addere fronti.
Sic ego nil actus præceps errore ſiniſtro
Me tueor, moduloque meo me metior uno,
Plus ſapere affectans, verùm & reverentior illis
Eſſe ratus tua qui veſtigia thure ſequuntur,
Turba virûm Regi cultu officioſa moleſto.
Scilicet hoc ſtadio quò ſpes hos certa lucelli
Excivit, quamvis laterum & pulmonis egentes,
Te canere aggreſſi nilhominus, importuno
Te ſtrepitu obtundunt, miſerum diſpendere carmen
Aſſidui, crudâ faciunt tibi tœdia laude.

Eſt cui arguta ſtilo contexitur Ecloga grandi,
Autor ubi proprias per longa exordia dotes
Expedit: exin ſe commendans codice toto,
Ridiculè Heroem fatuo committit ineptus.

Ecce alius curæ immodicus, limâque ſeverâ
Expoliens rhytmos, fruſtra ſudante Minervâ,
Tandem verſiculos bis ſeptem fundere felix
Magnæ mentis opus, Soli te futilis æquat.

Hos venæ ſegnes nimirum Hélicone ſub alto,
Aonidum chorus, & probris & ſcommate ſemper

Exploſit; ſed nec ſemel eſt dignata Camena
Colloquio, nunquam fuit illis Pegaſus ales.
His, tamen ut tumidos ventoſo audacia faſtu
Implet, Apollineos ſe ſponte recludere fontes
Dixeris, & Parnaſſiacis dare jura ſub antris,
Ceu penes hos fuerit largirier omnia Pindi
Dona tibi. Arbitrio doctæ ſed enim ipſe cohortis,
Et decus, & dotes, Lodoici & nomen Apollo
Addixit, ſi fors placeat decora inclyta ſæclis
Prodere venturis, & plectro tradere famæ.

Sic tua ab Arctoæ campis glacialibus Urſæ,
Ad tepidum æternis quæ floret honoribus Auſtrum
Fama, Poëtarum genti debebitur uni
Quod vigeat, Vatum ſtabit modò fulta labore
Gloria. Quin imò tutatur Nominis umbra
Una tui, invitâ pariunt quæcumque Minervâ.
Illa rudes partus ſi deſinat aura fovere,
Protinus & tineis eſcam blattisque libellos
Mille pati videas ludibria dedecorumque
Ferre modos omnes, quibus eſt nunc ſpiritus & vis
Præſidio, Lodoice, tuo, velut arbutus arvo
Sternitur afflictuſque ſolo jacet, huic ubi primùm
Tollis opem, qua ſe fragilis ſuſtentat, amicam.
Quod gens illa virûm tibi ſit ſtudioſa placere,
Laudo propoſitum ſanus. Temerarius eſſe
Hoc pretio nolim, ſannis operire malignus
Ut cunctos animum inducam. Nam de grege tanto
Scriptorum, occurrunt Lodoicum dicere fortes.

Nonnulli, quos ipſe ſuos agnoſcit alumnos,
His afflans animos vireſque magiſter Apollo.
Pelterios inter nimirum rauca crepantes
Innumeros, ſunt & qui Phœbo digna loquantur
Cornelidæ. Stomachum at nequeo compeſcere, ſi quis,
Ut ſemel occæpit ſteriles extundere rhytmos,
Diis licet iratis genitus genioque ſiniſtro,
Confeſtim placeat ſibi ceu ſit carminis autor
Eximii, quod ſe durus torquere gehennâ
Multiplici, ærumnis Muſam vexavit amaris.
Virgilio, canere Auguſtum nam competit, uni.
Et mihi bellator Macedo ſapuiſſe videtur,
Dum vetat, edictoque minas regaliter addit
Propoſito, ne quis ſe pingat præter Apellem;
Inſtar dedecoris magnum ratus inde futurum,
Picta rudi fuerint ſi Principis ora tabellâ.
Hinc ego cui parcus ſua dona indulget Apollo,
Quem vix Aonio depulſum à lacte Camenæ
Cenſent inter adhuc tirones, ocia fallo
Addictus levibus curis, dum firmior ætas
Succedens habilem fingat tua, Maxime, facta
Pangere, maturâque ſtilum exercere palæſtrâ.

Dum carus populis & formidabilis æque,
Fulmine monſtra domas, & magnum jura per orbem
Dividis arbitrio legum, Themidiſque ſeverus
Aſſeris imperium interpres, formidine pœnæ
Uſque malos frænans, ſtatuens & præmia paſſim
Ingenuis Recti cultoribus; en ſimul arma

Et ſua Calliope expediens, ſe vindice pennâ
Terribilem vitiis gerit, aſpera nec minus ipſi
Illa ſibi, certâ officii ſe lege coercens,
Committit chartis arcana fidelibus, imos
Et tacitæ mentis ſenſus Vero indice pandit.
Qualis apes ſub Sole labor per florea rura
Vere novo exercet, paſſim dum roſcida mellis
Dona legunt avidæ, & ſuccis ſe dulcibus implent
Ambroſiæ; haud aliter venis ſemel entheus ardor
Ut fuerit accenſis, homines diverſa furentes
Ut video, quidquid delirant hoc mihi bilem
Parturit, hinc atri nova ſemper ſemina fellis.
Ut me agitat Phœbi ſtimulis ferventibus œſtrum,
Sic gradior, nullâ veſtigia lege reguntur.
Hoc ſtadio, Muſæ fas, ut lubet, exſpatiari.
Illi dux operum caſus, ſtudiique magiſter.
Sed mendoſa mihi inſevit natura malignè
Id vitii, nihil ut proprio niſi nomine durus
Deſignare queam, ratione nec inſuper ullâ
Adduci ut ſileam. Noſtros audacia Vatis
Territat hæc homines, terſâ cute nempe nitentes,
Colluvie aſt intus vitiorum & ſordibus atros.
His tacitæ ſudant præcordia conſcia culpæ,
Et trepidant, ſatirâ ut Vates male fervidus acri
Aggreditur larvam de rebus tollere Verumque
Eruere abſtruſum, & genuinâ reddere formâ.
Improbitas uno cenſoris nomine pallet
Audito, fraudeſque ſuas nudarier horret.

Ambiguis vulgi pulſant ſermonibus aures,
His reus eſt qui forte joco mordace facetus,
Auſit corruptos ridendo carpere mores.
Terrificis urbem rumoribus inficiendo,
Jus verſum clamant ubi vel levis attulit auræ
Sibilus, addictos Vero non defore Vates,
Per quos fucatæ pieatis monſtra theatris
Exagitata palam populo ludibria fiant.
Ludere ſic fictos, non unâ morte piandum
Eſt ſcelus. Hæc vertit ſanctas audacia leges,
In ſuperoſque audit redivivam attollere Phlegram.
Hic merus eſt fucus fraus & color additus ori,
Et vitiis habilis ſpecioſam obtexere nubem,
Victoris Veri lux illos unica lædit.
Nequicquam rigidæ virtutis imagine tuti
Incedunt, pravos ventoſa ſuperbia planè
Deſinat. Tacito mens frigida crimine torpet
Segniter, oppedens cœlo; dudum impia Regem
Non curat qui ſydereâ dominatur in arce,
Præter Molerii ludum nihil illa veretur.

Sed quid tranſverſum rapuit temerarius error?
Id peccare mihi cognatum eſt, neſcia fraudis
Simplicitas, palponum artes ignorat & omne
Aucupium; renuit celſo tranſcribere Olympo
Calliope fatuum, vel nanum Altanta vocare,
Nec ſe ſervitio Magnatum addicere, nec Diis
Thus dare quos pulchræ novit virtutis egenos
Eſt potis. Injectare jugum nec fert ſibi quemquam

Quamlibet ille potens fuerit Quin maximus ille
Nec poſſet Lodoix invitæ extundere rhytmum:
Officium niſi mens mihi dictitet, ægra negabit
Calliope dextram, Rex maxime, nec tua plectro
Uſquam facta canet ſtudio niſi conſona Muſa.
Nec ſpes nec ratio mentem hanc mutaverit ulla.

Ardua ſed cum tot tam dexter munia regni
Exequeris, ſemper vigil invictuſque laboris,
Regibus his, quibus eſt pondus diadema moleſtum;
Et pudor & ſtimulus ne mollis inertia frangat.
Cum beat & cives opulento copia cornu,
Conſilio ſemper cæptis præſente parata.
Heſperios Latioſque potens contundere faſtus;
Integra ubi puro tutaris lilia flore,
Et per te noſtris ſe claſſibus æquor apertum
Sternit ſponte, tuis & bellatoribus afflans
Mars tuus indomitas vires aquilæ expedit alas;
Quam dudum hoſtis atrox crudeli Marte premebat.
Fortunæ victrix ſapientia dum tibi fata
Dat propriâ, Oceanumque tibi ſubmittit utrumque;
Auſpice te domitrix pelagi ſecura procellæ,
Inſolitas tentare vias aggreſſa, rubentem
Naſcentis Phœbi radiis tranſmittere pontum
Audet Franca ratis, mutatis mercibus aurum
Huc referens illic fundo meliore creatum,
Telluri ut genitor Sol proximus incubat almæ
Tum nil conſulto bacchatur Apolline Muſa,
Impatienſque jugi injuſſo te carmine pulſat.

Sed frænos ratio petulanti protinus addit,
Conſilioque moras inceptis gradibus affert.
Tunc mihi quantumvis acres ſub pectore verſet
Ille æſtus ſtimulos, tamen illa judice certus
Deprendo, nec voce parem nec carmine Muſam.
Hinc mihi cor trepidat pavidum formidine, nervi
Deficiunt, impar operi mea cæpta retracto,
Et nihil ulterius tendens, deprenſus in alto
Æquore ceu rector ratis, impendente procellâ,
Ut primùm apparet littus, contendere nudus
Huc propero, fluctus contra luctarier audax
Nil ubi ſim attendens nec quâ ripam arte prehenſem.

NICOLAI

NICOLAI BOILEAU DESPREAUX SATIRÆ.

SATIRA PRIMA.

INGENII Damon celebratus divite venâ,
Delicias Urbi dudum qui fecit & Aulæ,
Infelix cui lana togam vix ſuccida craſſam
Texuit, interulæ cui deſit copia lino
Contextæ, vel dum ſudoribus æſtuat æſtas
Immodicis, cui deeſt contra aſpera frigora brumæ
Vel cilicina chlamis, tandem date terga coactus
Exulat. Adverſus vim fati didita latè
Fama nihil prodeſt, nec obeſior oſſea forma

Facta viri eſt ; operam conſumere feſſus & artem
Scribendo verſus , alieno totus in ære ,
Deſperans ullo compendia quærere lucro ,
Pannoſus , loculos exhauſtus , & omnium egenus ,
(Propria namque viro paupertas una ſupellex)
Proripuit ſeſe trepidâ formidine , reſtes
Permetuens caſus , ſecum quoſcunque , malorum
Producit fœcunda Themis Themidiſque ſatelles ,
Pragmaticuſque omnis , nodosâ indagine legum
Arduus intentans dubii diſcrimina juris.
Sic fugiens , almam dextro molimine pacem ,
Ut putat, inſequitur , nullo quam prendere niſu
Hactenus evaluit. Sic demum avertere cladem
Clade ratus , ſeſe tenebris tutarier ambit.
Ni fugiat , metus eſt ne jure oppreſſus iniquo ,
Quod vitæ eſt reliquum conſtrictus carcere vivat ,
Ni viridi malit caput objectare galero ,
Fata ſalutari redimens crudelia probro ,
Fœdanſque Aoniam quæ cingit tempora laurum.
Nemo quaterdenos paſſus jejunia ſoles
Aſpera , dejecto exſuccus ſic palluit ore ,
Ut miſer ille ſolum funeſtâ clade coactus
Vertere & afflictis rebus quacunque mederi.
Bile tumens jecur ardebat , crudele rubebat
Turbidus ex oculis ſcintillans acribus ignis.
Sic tandem diros expreſſit voce dolores.

Hîc ubi ſecuræ quondam tutiſſima Muſæ
Otia ducebant , ſedemque & præmia nactæ

Florebant, quando jam nunc Heliconis alumnis
Nec locus eſt, nec laus, nec gratia, nullaque ſanctam
Virtutem aura fovet, quin, & cœleſtibus annos
Exigit inviſus per quæque anguſta Poëta.
Nunc inter dumos, inter deſerta ferarum
Luſtra, ſpecum latebris ſtat veſtigare profundis
Abſtruſam, quò nulla viam veſtigia ſignent
Lictori Themidis. Sedes impervia preſſum
Ærumnis vatem tutabitur. Una ſalutis
Hæc via nunc. Superos nil voce laceſſere prodeſt
Efflictim miſero. Favor eſt ſic poſſe latere.

Ergo jugi expertem, quando nondum ægra ſenectus
Invaſit frangens animum, mutanſque vigorem,
Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo,
Et traho adhuc, fatis vel dira frementibus, auras
Æthereas, ea conſilii mihi ſuppetit una
Afflictæ ratio ſolamen & anchora cymbæ.

Incolat hanc, ut fert fortuna, Georgius urbem,
Exigat hac felix ſtatione Georgius ævum,
Mille talenta dolo faciunt quem parta beatum.
Vili ex mancipio ſcriptor famuluſque tabernæ
Pragmaticæ, nummo Comes eſt & Marchio factus.
Nil queror hunc ludum Fortunæ. Vivat & illic
Jaquinus, cujus funeſta aſtutia, cladis
Plus miſeræ peperit, quàm peſtis & ipſe cruentis
Succinctus furiis Mavors. Ne quære doceri
Latronis reditus & prædia. Qui numerare

Hæc velit, huic magnum excreſcet ſcribendo volumen.
Regnet ibi felix, huic jure Lutetia cordi eſt.

Men' colere hoſpitium infauſtum ? Men' figere ſedes,
Mos & norma viris ubi fallere ? Nec mentiri
Doctus ego, nec, ſi poſſim, hoc agitare voluntas
Sufficiat. Sed nec mihi ſic ſocordia pectus
Frigore ſtringit iners, fatuo ut ſervire Dynaſtæ
Adſtrictus mercede velim, & tolerare ſuperbi
Contemptus Domini, & ludibria mille vorare.
Mene Poëmatii artificem Phæbœa pudendis
Turpiter obſequiis addicere munera nummo
Attentum, & fœdas humilem ſectarier artes
Palponum ? Fugit hoc pretio thus vendere noſtra
Calliope, ſtudiiſque ferox & ruſtica, neſcit
Blanditias agitare, & læſo ludere Veto.
Nec quidquam proprio niſi nomine deſignare
Docta, vocat felem quæ ſit barbatula feles,
Furciferi meritâ commendat dote Roletum.
Nec ſum habilis mœcho officium præſtare miniſter,
Nec Venerem arte potens ullâ domitare rebellem,
Triſtis agens & inops nulli comes exeo, tamquam
Mancus, & extinctæ corpus non utile dextræ.

Verùm iſtæc, aiunt, quid prodeſt horrida virtus,
Limite ſic lævo gradiens, nihil apta parare
Præter egeſtatem & ſordes, ſeriemque pudendam
Dedecorum ? Abnormis jamdudum evaluit aſper
Ille habitus. Cui ſit nummorum copia, crede,
Nobilis hunc faſtus non dedecet, auraque pulchræ

Gloriolæ. Sed pauperies ſi quem premit arcta,
Ille pudens decet incedat, palpumque doloſus
Obtrudat. Sic cui geneſim fauſtam aſtra negarunt;
Infelix cultor Pindi, fata aſpera blandus
Emendare poteſt. Sic & Fortuna jocoſo
Ludibrio potuit titulis Ducis ac Paris inter
Franciadas Proceres, Indi inſignire magiſtrum.
Aſſuevit jamdudum ætas hæc ferrea monſtris.
Virtuti ſic Sors ſolet inſultare malignè
Illudens. Opibus ſummis & honoribus auctus
Nunc viden' ut Prædo exultat, curruque ſuperbus
Aurato trahitur, virgâ domitare jugales,
Quem fors adſpiceres coopertum verſicolore
Terga ſago, ut Procerum diſtinguit tænia ſervos?
Sic auriga foret, ni Regum jura ſiniſter
Excutiens interpres, opertâ fraude doloſus
Conſilia inducens fuco non una cruento,
Exitium longè Francis latéque dediſſet.
Hinc actus ſcelerum furiis evaſit opimâ
Cum prædâ, menſes aliquot latitare, querelæ
Et dum ſubſidant, ſeſe ſubducere prudens
Inſtituit. Jocus eſt quod mulctâ plexus abire
Sit juſſus, ſpoliis, mora nulla, videbis onuſtum,
Clade triumphantem noſtrâ ſe ferre per urbem
Ventoſum, Diiſque iratis impune fruentem,
Cum Colletetus ſtomacho latrante, lutoque
Lumborum tenus aſperſus, veſtigat odorâ
Nare ſagax, quæritque vagus, quâ Muſa culinâ

Prandeat uberius. Sic pulchram inſigniter artem
Exercet, cujus præcepta illuſtribus olim
Tradidit Ingeniis Monmaurius optimus autor.
En tandem auguſti ſapientia provida Regis
Reſpexit triſtes hac tempeſtate Camœnas,
Emendans fatis melioribus aſpera fata
Largus opis. Non jam ceu mendicabula vulgi,
Aonias tutor patietur egere Sorores.
Quid non ſperabunt Lodoico vindice Muſæ!
Defuerit ſed ſi Mecenas, quid mihi prodeſt
Auguſtus pater, ille licet donare benignus.
Quis me ſic habitu deformem & turpiter hirtum
Commendare volet generoſus, ſeque patronum
Ferre laboranti dignabitur, unius Æqui
Legibus & Pulchri addictus? Quis vincere turbam
Undantem potis, & corvos extrudere hiantes
Innumeros, fortes actutum invadere prædam,
Debita poſtremis & munera prendere Regum?
Sic populantur apum inſidiis & fraude laborem
Ignavum fuci pecus, & cæleſtia mellis
Dona vorant avidi. Sic nos violentia vincit.
Ergo decet longè fugere, importuna favorem
Vis quando una poteſt ſibi devincire prehenſans.
Vena ferax Santamando data ſorte facultas
Una fuit; patrio tulerat nihil è lare præter
Vile ſagum. Bona conſtabant hæc omnia veſte,
Lectulus & duo ſcamna fuerunt una ſupellex,
Rem verbo abſolvam; vivebat egentior Iro.

Pertæſus demum ſegnem ſic vivere vitam,
Hoc nihilum ille ſuum licitatus, (amabilis error
Ut menti inciderat) Fortunæ munera cœpit
Venari ſtolidus, Francam novus hoſpes in Aulam
Inductus, nomen ſibi, mille poëmata jactans
Cuſa domi, facere affectat. Spe luſus inani
Cogitur hinc ſannis, eheu! coopertus abire.
Invaſit reducem (miſerabile) febris acuta,
Et lethum properè adduxit, quod dira creaſſet
Deinde fames. Coluit Vates gens Aulica quondam;
Et fovit meritos. At nunc odioſius inter
Omne genus fatuos, nullum eſt, mihi credite, nomen,
Finge tibi authorem cui vena beatior auro,
Hic nunquam Angelii florebit ſorte beatus.
Ergo novâ deinceps vitam componere formâ
Fata urgent. Nunquid Muſas & Apollinis artes
Hactenus eximiè cultas mutare neceſſe eſt
Bartholi ſtudiis? Nunquid nodoſa Lueti
Scripta volutare, intricant quæ longa Brodelli
Argutis commenta notis, dein ſyrmate marmor
Verrere clamoſæ Themidis, caudæque volumen
Hac illac agitare. Sed hæc mihi ſortis imago
Una Palatinæ, mentem confundit & omnes
Evertit ſenſus. Men' Stentora vincere voce
Certantem, aſſiduo ruptas clamore columnas
Frangere adhuc? Men' barbarico ſine fine tumultu
Concuti, ubi per Dædalei anfractus Labyrinthi,
Mille per implexas ambages circuituſque,

Interit oppreſſum ſalvis male legibus Æquum,
Candida ubi penitus quæ ſint, nigra reddit acutæ
Judicium ambiguum Themidis, juriſque maligni
Formula, ubi tua, Patruade, facundia friget,
Garrulitas ſua Mazerium cum ditat Huotumque,
Et Schola Forneri Cicerones ardua fingit.
Ante mihi quam mens hunc ſuggerat atra furorem,
Sequanicos videas glacie concreſcere fluctus,
Sirius ut terris arentibus incubat ignis.
Ante Carentonæ nomen dabit ille cohorti
Arnaldus domitor Calvini. Tuque Mareſi *
Jurabis potius Janſeni in verba magiſtri,
Et Sampavinus fiet pius ipſe repente.

Ergo vale, æternumque vale, importuna nefando
Urbs odioſa mihi genio. Nam quis ferat urbem
Virtuti infeſtam, ſævas ubi nempe per artes
Improbitas viget, & celſâ dominatur in arce
Tuta, ſcelus ſummis ubi ſemper honoribus auctum,
Sublimi incedit mitrâque pedoque ſuperbum?
Triſtis ubi & jactata probris immanibus, hoſtis
Ut Patriæ, furcâ veneranda ſcientia paſſim
Truditur, aſſiduiſque gemit vexata procellis.
Ars ubi prima virûm prædari & vivere rapto,
Omnia ubi faciunt mihi marcida tædia. Plura
Me pudet effari. Quis, vel ſedatior, irâ
Non excandeſcat, mores ubi cernit iniquæ
Urbis tot vitiis infectos? Quis ferat atras

* Des Marets S. Sorlin, anti-Janſeniſta acerrimus.

Nequitiæ labes? Cuinam (ſi pingere certet)
Non animos ultrò non verſus dictet Apollo?
Imò age, cui fuerit mens iſto ludere campo,
Non opus eſt docti ſuperet capita ardua montis,
Aut agitet ſomnos ſacratâ in valle Sororum,
Eſt ſatis ira, ſuus Vati furor unus Apollo eſt.
Quid ſic vana furis? Quid ſeſquipedalia verba
Hæc pariunt? animum cohibe, compeſce tumultum
Pectoris hunc. Aut ſi indocilem furit ira furorem,
Pulpita ſublimis conſcende, ſacram arduus, euge,
Ædem voce tonans imple, populoque ſoporem
Concilia orando. Tibi quidlibet effutire,
Oportunè importunè illic erit uſque poteſtas.
Sic contra obloquitur, ſatirâ ſub judice, ſævus
Quem dolor introrſum pungit, vitia ut ſua credit
Securus tandem hac ſibi condonarier arte,
Si vanùm oblatrans ſanam cenſoris amari
Sævitiam exagitet. Simulator ſe gerit extra
Intrepidum, pavor ut gelidâ formidine pectus
Concutit exanimum. Regem nihil ille veretur
Cælicolûm, niſi quando furens febris oſſibus ardet.
Protinus horrifico tonitru ut cœlum omne remugit,
Flammiferæque volant magnum per inane ſagittæ,
Non ceſſat duplices ad ſydera tendere palmas,
Arrectuſque precem fundit: ſed non prius ille
Subſidit cœli fragor, & vis horrida flammæ
Fulmineæ, quàm ridiculos damnare pavores
Terrigenûm affectat nebulo. Nec enim, ut furit illo

More procax , miſer advertit flammantia cæli
Templa Deûm regere , & ſuperâ dominarier arce ,
Torquentem invictis immenſum legibus Orbem ,
Aut animas agere , hac vitæ ſtatione peractâ ,
Immortale ævum. Voce hæc ſunt impius altâ
Quæ certè nolit nobiſcum ut vera fateri.

Aſt mihi , vel vegetum mundi quem terret imago
Alterius , qui fata animæ immortalia novi ,
Sidereâque domo magnum regnare Tonantem ,
Præſtat abire fugâ miſeraſque relinquere terras ,
Quærere & externo patriam ſub ſole jacentem.
Ergo Pariſiaci quondam mea cura penates ,
Supremâ extremùm jubeo vos voce valere.

SATIRA II.

AD

CLARISSIMUM D. D.

DE MOLIERE.

AD te confugio, ne deſpice, Magne clientem
Moleride, tibi inexhauſtus quando ingenii fons,
Et vis eloquii, calamique invicta facultas,
Abſque labore parit divinos aurea fœtus.
Tu pugil emeritæ docto in certamine palmæ,
Dives opum Phœbi cunctarum, carminis artem
Quam calles operæ eximius, mihi, maxime Pindi
Arbiter, eia aperi, indocilemque capeſſere Rhythmum
Quâ valeam ratione, doce; ſervire paratus
Ille tibi ad nutum præſtò non deſinit unquam
Eſſe, cito facilem properat pede claudere verſum.
Muſa anceps dubio nunquam tibi fluctuat æſtu,
Nuſquam hæres animi pendens, prenſare fugacem
Sollicitus Rhythmum; ſponte advolat, obſequiturque
Injuſſus, felix reddens numerumque ſonumque.

Aſt ego quem vanus furor & veſania vindex
Stultitiæ ſcelerumque eheu! fecere Poëtam;
Anxietate lacer, maletortus, inania ſudans,
Hunc ſimul affecto conſtringere, vana furentem
Lædere non ceſſat Rhythmi fugitiva maligni
Improbitas. Longis me torqueo ſæpe diebus
Ut captem, cedit ſemper labor irritus omnis.
Album mens quoties mihi ſuggerit, ilicet ater
Suggerit ille nigrum. Blando ſi carmine geſtit
Muſa viri formam concinni, aptoque placentem
Et ſtudii & morum concentu pingere, præter
Puræum Abbatem calamo nihil improbus offert.
Perfectus numeris dicendus ubi omnibus author,
Virgilium ratio, Quinaltum Rhythmus aberrans
Demonſtrat ſubitò. Genius ſic ille ſiniſter
Me premit, & votis uſque adverſatur, ut artem
Interdum Aoniam exoſus, ſævâque tumeſcens
Indomitæ bilis rabie, Muſaſque Deumque,
Pectore qui calet Eumenidum violentior œſtro,
Execrer, & calamum, nihil ultra ſcribere certus,
Abjiciam, ulciſcens ludibria mille tyranni
Juſto contemptu, ſimul arctâ lege ſilentî.
Seu poſtquam luctu Phœbum inſectatur amaro,
Barbiton abjeci, verbis odia aſpera miſcens,
En ſeſe ille procax victuſque volenſque remittit
Indomiti modulus rhythmi, arridetque benignus
Jam deſperanti; mihi tum clementior aura
Ut favet aſpirans, animum vireſque reſumo

Invitus, vigor igneſcit, penituſque medullas
Incendit furor, & labefacta per oſſa volutus
Me domitat ſubigitque, ſtylum mihi reddite (clamo)
Pierides; ſic ceu vatum perjuria Divi
Condonent faciles, fidei immemor arma retracto,
Rurſus & immerſus ſtudiis; dum carmina lentus
Fundo minutatim, attentus, patienſque laboris
Expecto, mihi Calliope adſpirare canenti
Alma velit, vatiſque illabi ſenſibus imis.
Verùm Muſa tamen ſi, cum furor entheus ardet,
Frigidulum, ſegniſque notæ ſubrepere verbum
Scribenti ſineret, non longè arceſſere Rhythmum
Curarem ingenuum; verborum trita ſupellex
In promptu foret, unde mihi, quantum uſus egeret;
Aſſuerem numeros, & verba accommoda paſſim:
Si canerem diâ præſtantem Phyllida formâ,
Hîc ſubeat nulli laudare decore ſecundam.
Sive quid eximium detur pleno ore ſonandum;
Ilicet occurrit quod vincat lumine ſolem.
Sic ſolem uſurpans purâque nitentia formâ
Sidera, cæleſtis ſic & miracula mundi,
Atque pares ſuperis formas arguta ſubinde
Muſa crepans, ſine mente queat, ſine robore ſegnes
Parturiens numeros, rationis & artis egenos,
Mille locis verbum nomenque ſuo ordine fœdè
Deturbans, magnum miſerè lacerare Malherbum;
Et ſegmentatum præpoſtera fundere carmen.

At mihi mens timida in verbis & cauta ſerendis,
Nullum ferre poteſt non juſto examine dudum
Judicioque acri libratum; dictio nuſquam
Ulla ſapit, quæ non quadret concinna decenter;
Aptaque ſtare loco niteat. Sic ſcripta ſubinde
Immodicus curæ cenſor mea quæque recudens,
Quatuor ut calamus verba exarat, haud mora durus
Induco tria, vel jugulo mucrone cruento.

Væ tibi veſano primus qui percitus œſtro,
Senſa animi anguſto aggreſſus comprendere verſu;
Servilique addicta jugo conſtringere adorſus
Verba, coëgiſti rationem legibus arctis
Subdere ſe Rhythmi, vinclis & carcere frænans.
Fatalis ſtudii ni me furor ille teneret,
Dudum incorrupto flueret mihi vita tenore,
Invidiæ telis impervia, nempe ſoluto
Anxiferis quæ corda premunt mortalia curis,
Ludere fas foret, aſſiduo convivia cantu
Exhilarare, mero genium mulcere Falerno,
Pinguius abdomen myſtis ſaliaribus unctum
Affectare, dies jucunda per otia totos
Exigere, & dulci noctes conſumere ſomno.
Ambitione carens atque expers omnis acerbi
Quando mihi pectus, ſuaque arctans limite vota
Anguſto, jam nec magnatum gratia cordi eſt:
Importuna mihi ſpecies eſt illius omnis
Officii quo ſe fortuna addicit emendam.
Limina nil Luparæ tero Divæ numen adorans;

Et mihi blandirer velut omni ex parte beato,
Scribendi verſus ſi me minus hoc cacoethes
Ureret : at ſimul hæc invaſit dira phreneſis,
Incumbens cerebro, tetriſque vaporibus ægram
Evertens miſero mentem, furiale venenum
Indidit invito, domitus Cacodæmonis atrâ
Nequitiâ, inſudans operi, limâque ſeverus
Mordaci expoliens, curis conſumor amaris,
Nec mora nec requies, nunc hæc nunc illa recudo;
Utque nihil ſtatui mî parcere, pagina ſæpe
Magna expuncta ſtylo perit, arceſſitque laborem
Preſſa novum. Felix ô terque quaterque feracis
Pelleteri venæ tu compos, tuque beate
O Scuderi, cui menſis abit ſine pignore nullus,
Sic tibi Calliope partu felice tumeſcit:
Scripta licet ſerpant ſine nervis hæc tua, & artis
Nullius, invitâ videantur cuſa Minervâ,
Non deeſt impenſâ tamen hæc qui plurimus edat
Bibliopola ſuâ, fatuus nec lector emendis
Deeſt etiam, quidquid contra ratio obſtrepat, & dum
Se modo Rhythmus iners tinnitu ſtridulus acri
Offerat, argutas, ubi verſus deſinit, aures
Afficiens, nihil eſt penſi ſi cætera pravo
Ordine diſcordent, ſenſûs & inania recti.

Proh! miſeram Muſæ ſortem cui mens maleſana
Arte coërcere ingenium, normamque tenere
Dictitat! ærumnis fatuus, mihi credite, ſcriptor
His caret æternùm, delectu haud angitur ullo,

Quæ ſua ſunt , hac cuncta probat dulcedine victus ;
Uſque ſibi pulcher placet , & quod parturit æſtu
Inſano abnormis , miratur ut arte magiſtrâ
Compoſitum , & luci quam primùm prodere geſtit.
At qui ſublimi pennâ arduus alta capeſſens
Eximiæ laudis faſtigia , dura laborum
Strenuus invaſit , ſi quid ſudante Minervâ
Extudit egregium, hoc durus faſtidit & acri
Cenſurâ explorat ; placet omnibus, at ſibi nuſquam
Ipſe placet. Sic ingenio celebratus ubique
Scriptor , ſæpe putat ſcriptis clareſcere damnum.
Nunc ergo fer opem , duros miſerare labores ,
MOLERIDE , Rhythmi abſtruſos recludere fontes
Ne pigeat, vel, ſi nequit ars compeſcere morbum
Ulla, doce immiti ſaltem deſiſtere ludo.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

SATIRA III.

COENÆ DESCRIPTIO.

NAm quis te preſſum caſus miſerabilis urget!
Unde tibi hæ frontis nebulæ, & caperata ſevero
Ora ſupercilio? ſic palles, triſtius ut non
Palleat, abraſit miſero cui dura trimeſtrem
Lex reditum. Dic quònam abiit flos vividus ille,
Atque laboratus turdo & perdice juventæ
Eximius ſanguis, nil præter gaudia ſpirans?
Heu! quò lætus honos oculorum & gratia formæ
Blandula, pingebat quam gemmeus undique Bacchus,
Ille tibi miros qui conciliabat amores?
Nunquid ferrea lex lautæ ſacra jura culinæ
Subruit? Aut Hyadum ſidus pluvialibus urnis
Diluvio exitium terris fatale creavit,
Melonum perimens genus omne & dona Lyæi
Germine deleto paſſim? Quianam, Improbe, acerbas
Fata, tegens ſortem quæ te ſic urget iniqua?
Ni morbum retegas, tibi te, mora nulla, reli nquo.
Sit mihi ſit per te fas reſpirare parumper.
E Fatui reducem cernis lare, qui mihi certus

BIBLIOTECA NAZIONALE ... ROMA

Moliri interitum, ſecum prandere coegit;
Inficiens ſtygiis epulas & vina venenis.
Jam propè biſſenis me menſibus expugnare
Sollicitus, laqueos & vincla tetenderat auceps
Perfidus. Evaſi dudum molimine dextro
Arctè prenſantem, ſed heri me prodidit ater
Incautum intricans Genius, viſque aſpera fati.
Nempe manu apprensâ, vocem eblanditus, & arte
Irrepens, cras te (ne dedignare vocantem)
Convivam expecto, venies gratiſſimus, infit.
Bis ſeptem veteris Bacchi tibi nempe lagenæ
Servantur, nil tale cati, mihi crede, Bucingî
Uſquam cella dabit. Villandro, ſic reor, ipſi
Ilicet afficeret guſtum meliore ſalivâ.
Lætitiæ dator inprimis conviva ſedebit
Molerius; fida Impoſtor non deſeret umbra
Artificem ſcenæ. Quin, & voce Orphea vincens
Lambertus blandùm modulabitur. His nihil addam.
Ille fidem dedit. Hem-quid ais? Lambertus ad horam
Condictam veniet? Non deerit, ſic fore crede
Ut loquor. O! ſtimulis blandus premis acribus ut me
Cras ſocium adjungam. Cras ergo te, Optime, viſam
Pranſurus. Felix nobis lux craſtina ſurget.

Ergo hodie è ſacro rediens, ſol ut dedit horam
Jam medius, quò me ducebat amabilis error,
Et promiſſa viri mendacibus oblita fucis,
Huc tendo properans. Me limine adorſus in ipſo
Hinc atque hinc Fatuus fuſis amplectitur ulnis,

Lætitiâ exultans luctu confundit amaro ;
Sit male Molerio, Lamberto ſit male, nobis
Verba dedere, inquit ; ſed quando ades, ô Bone, ſalva
Omnia ſunt, unus diſpendia triſtia, caſuſque
Emendas conviva ; virum ſic te geris, euge
Ingredere, ô ! fidos nec dedignare ſodales.
Hîc ſerò ſapiens me luſum errore ſiniſtro
Deprendi, ſudant turpis mihi conſcia culpæ
Pectora, cor trepidat. Superum in conclave maligno
Sole calens hominem ſequor arduus. Æſtuat aura
Phæbæ facis hîc radiis immitibus ardens,
Arctius & clauſis quam vincere nulla feneſtris
Ars valeat. Preſſus male flagrat Sirius ardor
Exſuperans, miſeriſque refert Vulcania tecta.
Hîc ſedes epulis, hîc pulchro menſa paratu
Nimirum inſtruitur. Vix primùm tecta ſubibam,
Cum me nobile par & garrulitate gemellum
Invadunt duo rurigenæ, genialis alumni
Telluris, blandâ compellant voce repente.
Dulcibus ut fingunt verba aſſentantia linguis,
Et magni effundunt duodena volumina Cyri,
Ingenia agnovi fabellarum ebria nugis.
Accenſum rabie jecur hîc ardebat, ubi offam
Intulit inſignem gallo fluitante miniſter.
Gallus ut extabat præſtanti corpore, gallo
Nomen adulatrix mutavit turba repente
Atque ſtatum ; capus evaſit pinguedine opimus.
Cingebant patinam geminæ decora alta patellæ.

Lingua erat hinc fungis & multo tubere farta,
Cinctus ei vertex apii viridante coronâ,
Artocreas unde ambuſto faſtidia gignit
Pariete, butyri cui flumen inundat & oras
Et faciem ſurſum reſtagnans. Ordine nullo
Sedimus. At miſeros en vexat menſa ſodales
Informi quadrata modo. Se quiſque ſiniſtrum
In latus obliquè verſans urgetur & urget,
Difficileſque cibos ſpatiis incluſus iniquis
Attingit fœdè arctatus ſtatione malignâ.
Tu quantùm cordi fuerint hîc & ſtatus & res
Nempe puta, quando nec lautæ fercula menſæ
Peuſi habeo, nec me delectant Maſſica Bacchi
Pocula, nî menſæ aſſideam conviva beatæ
Laxius & melius, quàm plebs, orante Cotino
Caſſanioque, ſacrâ conſuevit in æde ſedere.

Hîc laudum captator herus compellat amicè
Convivas; cuinam vel ſurdo hæc offa palato
Non moveat guſtum? Jus, ohe advertite ubique
Innatat expreſſum citro, ſed pungere felix
Et vigor omphacii acceſſit quem diluit ovi
Leniter infuſi tinctura recentis inaurans.
Næ mihi Mignotus punctum tulit omne magiſter
Eximius cœnæ. Mihi frigidus hîc ſubit horror,
Arrectæque ſtetere comæ. Quis nempe per orbem
Te, Mignote, prior menſis miſcere venena?
Inceſtare dapes ars ſcilicet eſt tibi prima.

Cuncta tamen vultûs habitu nutuque probare

Propoſui, vino tot triſtia poſſe rependi
Damna ratus. Spes hæc animum mihi blanda fovebat.
Ut petii, en cyathum labris ſpumantibus affert
Verna procax. Duris Arvernia collibus uvam
Nutrierat, gravidam fumis Aurelia poſthæc
Purpura cauponis medicatam fraude Greneti
Infecit: falsâ dein perfidus ille Falerni
Inſignire notâ ſuetus, vendebat adulter
Vel cruce vel culeo dignus. Rubicundula primùm
Arridere oculis ſpecies, ſed protinus hauſtus
Ut ſubiit fauces liquor improbus, en tibi languet
Marcidus, & ſtomacho fit nauſea lentus inerti.
Lethiferas ſenſi cauponæ protinus artes,
Corruptumque dolo Bacchum. Sed vincere lymphâ
Ut ſanus tento, vimque expugnare veneni
Aggredior; duræ ô! Superi miſereſcite ſortis!
Nulla datur glacie ardentes compeſcere fauces
Copia, cum terras inſana canicula findit.
Maſcula tum tumido quæ fervet in hepate bilis
Urget abire fugâ, menſam execrarier, æſtu
Et domitante, malæ dare peſti obſonia, herumque.
Fas illis fuerit cerritum dicere, & atris
Ardentem furiis: rabido dum percitus œſtro
Hæc meditor, menſæ inferri ut video aſſa, quietus
Subſiſto, paulum deferbuit ira remittens.
Confecti macie, leporis latera oſſea cingunt
Sex pulli. Triplex ſine more cuniculus extat
Deſuper oſtentans artus. Hi vernula proles

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Pariſio prognata ſolo, nutritaque caulem
Immodicè fatui ſapiunt. Hæc ordine nullo
Structa premit confertum alieno tempore denſa
Linea alaudarum. Diſci oras hectica cingunt
Corpora ſex penituſque exſuccâ carne columbi.
Hinc atque inde ferens herbaria dona catillus
Invitat male convivam: nam lutea fœdo
Andrachne aſpectu ſordet, dein guſtus agreſtis
Lactucæ fatuus nihil affert dulce palato.
Impurum nares etiam infeſtabat olivum,
Et roſei male diluvio ſtagnabat aceti.

Hîc animos turba ut tollit, rumore ſecundo
Tecta fremunt, Dominique vehunt ad ſidera nomen,
Regifico qui ſic ſtruxit convivia luxu.
Intereà ille viris riſu inſultare maligno,
Et veniam ficto ſtimulator poſcere vultu.
Helluo convivas quidam ſupereminet omnes;
Horrida cui linguæ tempeſtas, nec pudor ullus
Venerat huc lautæ illectus nidore culinæ,
Arbiter emeritus Bacchi naſcentis apricis
Collibus, argutè vinoſam rite profeſſus
Militiam. Ingluvie ille potens, commendat, edendo
Gnaviter, appoſitas epulas animumque Patroni.
Oſſea forma viri riſum movet, illuvieque
Oblita cæſaries, & fœdè pendula collo
Faſcia deformi, totus dum pendet herili
E nutu palpo, geſtumque habitumque fideli
Exprimit obſequio; cellares nempe columbi,

Huic ſubitò fiunt meliori ſorte palumbes,
Et qui ruſticulâ de corte cuniculus exit,
Paſtus ſerpillo eſt mora nulla cuniculus illi.
  Illecebris delinitus, me providus hoſpes
Advertens placidè triſtem, ſubitò occupat, ecquid
Angeris. Hîc duris proh! te geris importunè
Dejectum ærumnis, nec quidquam attingere curas,
Delicias inter tot menſæ. Num tibi guſtum
Nux muſcata acuit? ſapor hic dominatur ubique.
Cuinam non ſapiant hi, pinguia corpora, pulli?
Oſtentat molles en ille cuniculus armos.
His fruere, & faciem excuſſâ anxietate ſerenam
Indue. Sat recto ſtetit herclè hæc fabula talo.
Mignotus vires hodie conſumpſit & artem.
Neu verò mihi neu quiſquam ſe venditet autor
Subtilem condire cibos, & maſcula jura
Incoquere, artifici piperis ſi copia deſit,
Præmia nulla feret ſtudio conſumptus inani:
Nulla mihi niſi ſit piperata cupedia cordi eſt.
Scilicet hoc Superûm mihi dono apotheca redundans,
Totam Pelterii compactam rite cucullis
Melpomenem ſervat. Saxo tot ego aurea dicta
Mutior exceti, aut ſtatuæ, quam ſcena tremendo
Petri epulo inducit, referens habitumque modumque.
Ergo ſilere tenax perſtans, fors ut tulit, alam
Detractam macro raptim deglubere pullo,
Ante tamen putris male cocta revellere lardi
Fruſtula ſollicitus. Menſæ at nova gaudia ſurgunt.

Pungit rutigenas hîc pocula rite propinans
Helluo adulator, vocemque intendit acutè
Percellens aures, ut votis mille ſalutem
Quiſque precetur hero. Tum ſe ſe arrectat uterque
Spumantis pateræ reſpondens pignore. Turba
Plaudit Io exultans animis, fauſtoque triumphans
Murmure. Certatim ut calices poſcuntur, oberrans
Dat circùm famulus: digitos illeverat unctus
Furta liguritor ſignans. Uligine fœdè
Affecti, ſcripto produnt felicius omni
Se ſcitè ablutos. Miſerabile carmen Iaccho
Ecce madens unus diſperdere lamentando
Cœpit, cum cœtus miratur ut Orphea, & unâ
Æmulus accedens voci modulatur aberrans
Diſſonus abſurdè. Symphonia nempe canino
Oblatrans ritu, gratùm ſonat auribus. Acri
Gutture contortos hic longum poſt ululatum
Parturit ore ſonos. Hinnitibus alter acutis
Accinit, erranti ut pulſus teſtudine nervus.

His ſuper adventat macilento corpore perna,
Si qua fides domino, dedit hanc Moguntia mater.
Fert diſco famulus priſcæ gravitatis imago.
Non aliter Rector Latio comitante Senatu
Purpureus greſſum regit. Eſt ſervo ardua cervix,
Clavigeri ſtipant hinc atque hinc, & latus urgent
Calones, craſſoque gerunt mantilia filo
Sordiduli, fœtam geſtantes quiſque patellam.
Boleto vituli concocta caruncula primùm

Emicat;

Emicat, inſipidâ dein piſa natantia lymphâ.
Inſperata novo percellit pectora motu
Pompa triumphatrix, animiſque calentibus addit
Argumentum ingens ſtimulos. Non jam amplius aura
Perſtrepit illecebris cantus. Hîc fabula gliſcit
Grandior; eſt turbæ graviter locus inſanire.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Fortior ut, cuique incubuit temulentia Bacchi,
Frivola eò jactat veſanæ ſomnia mentis
Acrior; excutiunt prudenti examine Regum
Jura, dehinc paces & bella futura per orbem
Immenſum, leges figunt & deinde refigunt,
Atque emendatas componunt moribus urbes.
Tum marte indomito quatientes oppida, victi
Colla jugo ſubdunt Batavi, duroſque Britannos
Contundunt. Demum feſſi fera bella movere
Pacem agitant: gentes & ſollicitare quietas
Ut parcunt meliore animo, ſententia mentes
En diverſa ſubit; ſenſim fit dîa Poeſis
Sermo viris, fatuam ventoſa audacia turbam
Protinus invadit, Pindum doctaſque Sorores
Arbitrio regere affectant, & ſubdere virgæ.
Ipſe ſed inprimis Ronſardum Theophilumque
Tollit herus cœlo ſublimes, ſcilicet arte
Judicioque pares; propria hæc laus ſignat utrumque.
Ruſticulâ de gente alter Dynaſta, ſuperbis
Elatus fumis, barbæ ſylvam arte retorquens
Et petaſum horrentem villis, criſtamque coruſcans,

Turbidus obloquitur, ſupremus & arbiter inſtat:
Deſinite ô! vanis ſcriptoribus addere laudem.
Nil par Serreadæ, mihi credite, ſive ſoluto
Incedat pede concinnus, ſeu carmine grandis
Aſſurgat, ſemper fluit æquo vena tenore.
Illa etiam ſcatet illecebris mihi mille Puella,
Cauſa latet quianam ſomnum parit uſque legenti.
Païſius ſanè feſtivus ſcurra facetuſque
Omnibus arridet. Sed blandum nil ſapit ille
Vecturus. Guſtum decet hîc prudentia fingat.
Et quandoque poteſt Corneli muſa placere
Næ mihi præſertim generoſo Gallica lingua
Culta modo, teneras mulcet feliciter aures.
Dicite, Alexandrum Racini cur favor aurâ
Tam fauſtus levat. Ille merus Traſo, nil niſi durum
Quippe ſonat. Proh! quàm Quinaltî ſcena colore
Diverſo heroas pingit! ſunt cuncta tenelli
Quos vates canit ille, viri, ſua non niſi blando
Ore ſonant odia & mellito tincta lepore.
Hic ſatiræ aſperſus nigro ſale dicitur. Ohe,
Infit herus; juvenis petulanti ſplene Poeta
Prolatum, *Numeris ſi pingitur omnibus auctor*
Perfectus, ratio auctùm dat ſana Maronem,
Contra Quinaltum ſubitò dat Rhythmus aberrans.
Sic habet. Hæc commenta ſatis ſunt frigida. Porro
Quinaltum ſanæ mentis quis carpere fidat?
Aſtratus ah quanto tollit ſe flore, Poema
Jactatum ſcenis toties, certmuque placere.

Annulus eximiâ mihi regius arte videtur
Inventus. Pulchro ſe ſe ordine cuncta modoque
Expediunt, actus fit ibi integra fabula quiſque.
Putida ſunt alii quæ condunt cunque Poetæ.
Quinalto nempe eſt mens alta atque entheus ardor,
Occupat hîc fatuus quidam, quem livida formæ
Atque habitûs ſpecies Pindi deſignat alumnum
Prudentem malè; ſed tamen huic contendere ſortes
Non deſunt, pronum eſt oſtendere. Te penes herclè
Hoc nuſquam fuerit, reſponſat fervidus irâ
Ruſticulus, vocemque acuit; ferventis Iacchi
Dat virtus animo ſtimulos. Sed nec fremit aſper
Ille minus, mentis ſignans pallore tumultum,
Fors faciam ipſe fidem; ſed te dic quæ ſchola finxit
Sic habilem autores verſare? Ego certior ohe,
Ne dubita & melior te judex ardua Pindi
Hæc agito, actutùm noſter thraſo ruſticus infit,
Unde hæc indocto fiducia? cura ſit arſque
Una tibi calices ſiccare, meroque diurno
Nocturnoque dapes inter certare, beatumque
Abdomen farcire, ferox hæc ore Poeta
Dura refert. Furioſus ad hæc, mihi ne, Improbe, dicam
Ut ſtolido impingis? Mentiris, putide, probrum
Rurigena nîc regerens, inquit, nec plura moratus,
Hoc tibi habe, orbiculum intorquens, hoc pignore tecum
Ludere fert animus. Non pertulit impetus ictum
Eluſum flexu, paries hunc excipit unus.
Inde repercuſſus ſaliens ſe ſe rotat orbis.

Cardine eo rerum conſurgitur. Hîc nova miſcent
Prælia; nempe oculos intorquens lumine torvo
Ruricolæ inſultare Author parat arduus. Omnis
Hos intercedens cœtus lenire furentes
Nititur incaſſum, arripiunt ſe crine viciſſim
Pugnæ avidi, indociles flecti, pulſatque virum vir.
Sic furor ut gliſcit, fatali menſa ruinâ
Vertitur, & fractas deformi clade lagenas
Secum verſa trahit. Famulos cura anxia verſat
Tollere cuncta citos, Bacchus fluit undique rivis.
Barbaricos rurſum componere quiſque tumultus
Contendit, clamatur adhuc, ſudatur ut ambo
Vellere ſe informes deſiſtant. Ecce repente
Conciliat cœtum poſt jurgia ſæva ſerenum
Demulcens mentes pax alma furoribus ægras,
Fulciturque redux concordia legibus æquis.
Dediſcunt iras & corda ferocia ponunt
Mutati ſubitò pugiles: ſed fœdera firmo
Certatim vinclo dum jungere quiſque laborat,
Subduxi memet tacitus, fœdoſque penates
Deſerui, obteſtans Superos & Numina cœli
Omnia, ſordidulæ ſi me unquam addicere turbæ
Mentis inops vellem, laturum ſponte, quotannis
Pariſio deſit generoſa ferina macello,
Deliciis hyemi faciens ſolatia duræ,
Et ſapiant preſſum Briæ mihi vina racemum
Omnia, & Auguſto piſum vix menſe coquatur.

SATIRA IV.

AD D. ABBATEM LE VAYER.

QUis furor hîc miſeros mortales vexat, Amice
Dic age, VAERIDE, ut cui mentem inſania vertit
Deteriùs, ſapere hic ſolùm ſeſe autumet, & quot
Vicinos numerat totidem pronunciet ægros
Judicii, dignoſque putet quos carcere tutor
Anguſto, ſibi ne noceant, & compede ſtringat ?
Ecce crepans vanas ſine fine Didaſcalus artes,
Grajugenûm ſpoliis male onuſtus, totus & aſper,
Ebrius inſanit nugis, magniſque tumeſcens
Mille voluminibus, quibus ut vacat impiger, hauſit
Stultitiam cerebro incoctam, ſine more ſuperbus,
Omnibus oppedit queis librorum illa ſupellex
Non infarta animo. Ratio inſanire videtur
Quippe homini arguto, cœcâ & vertigine ferri,
Magnus Ariſtoteles niſi fax veſtigia firmet.
Parte aliâ inſulſo tinctus ſale blandus Amator,

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Illecebras agitare, procum & ſe ferre per urbem
Aſſuetus, longoſque dies nugator inani
Putidus exercens ludo, cui crinis adulter
Malobatroque madens, & blæſo lingua palato
Morbum animi prodit, dum garrit frivola ſtultè
Dulciculus, gerriſque dicax laſcivit ineptis,
Hoſtem doctrinæ paſſim ſe jactat, honeſtum
Palladis exoſus ſtudium; cui inſcitia laudi
Ingeniique loco ſua ſit. Nempe Aulicus omnis,
Ut putat, hinc palmam, magna & ſibi præmia fidit
Deberi quod nil animo laudabile ſanumque
Ebiberit, prorſuſque umbris & pulvere damnat
Cultores Graiæ eximios Latiæque Minervæ.

Nunc & fucatæ pietatis imagine nubem
Obtendens ſceleri nebulo, ipſum fallere Numen
Si queat & ſuperos ſimulator, fulmine linguæ
Nil miſerans cunctos mortales tradit Averno.

Aſpice & infandus Recti contemptor & Æqui,
Ut diverſa furit, vitiis dum laxat habenas,
Putreſcitque ſuis in ſordibus execrandus,
Fœmineos jactat Numen feciſſe timores.
Huic vindex Deus eſt aviarum fabula, ludus
Eſt Phlegeton, vanis pueros terroribus angens.
Hic animi fervens ſtudiis, impune cachinnos
Sacrilegus tollit, ridetque ut mentis inanes,
Pectore qui puro veræ pietatis alumni,
Divinâ dociles vitam moderantur amuſſi.

Tam multæ occurrunt ſpecies, formæque furentum,

Nomina tot, numeris quæ qui comprehendere certet,
Ille prius, quot Vere ægros occiderit uno
Guenaldus ſtibii infelix, queat edere, vel quàm
Sæpe benigna procis ſe Phryne indulſerit, ante
In ſua legitimum quam traxit vincula ſponſum.
 Sed ne longa ſequar divortia, ſic mihi conſtat:
Quicquid ſtulta cohors ſapientûm jactet, ubique
Inſanit genus humanum, gens omnis eodem
Inficitur vitio, penituſque à ſtirpe laborat,
Plus minus, id ſolum diſcriminis; ut quibus alto
Eſt iter in nemore, implicitos ubi ſemita ducit
Plurima per calles (nullo ductore per umbras
Errandi timor ut fallit regione viarum)
Dextrorſum hic vagus incedit per devia, ſentes
Ille ſiniſtrorſum peragrat: Quo longiùs exit
Quiſque per obſcuros ſaltus, hoc triſtiùs idem
Irrita ſudantes in diverſum abripit error.
Haud ſecus incertus graditur ſibi quiſque malignus
Dux autorque viæ, prout mentis cœca libido
Vim ſtimulumque addit. Quin & diſcrimine demens
Majori longè Recti de tramite aberrat,
Qui ſe Palladii munitum robore credit
Conſilii, velut in partem ſapientia ſponte
Ceſſerit, atque comes ſibi quæque incæpta ſecundet.
Nimirum (Satiræ quidquid mordacia carpant
Scommata) nemo animi morbos & vulnera judex
Ipſe ſui agnoſcit, ſua nempe inſania cuique
Norma regit mores, vitæque magiſtra, perenni

Ludibrio, vitiis virtutes computat, & ſe
Nævorum expertem commendat tubere totus
Qui ſcatet. Hæc illis qui ſe dignoſcere, certo
Et pede metiri certant; ſapientior ille eſt
Qui ſe nec ſapuiſſe putet, nec dicier optet
A populo ſapiens, propriæ ſibi laudis avarus;
Ille ſibi nuſquam blandus, ſed jura ſeverus
Imperitans, quodcunque ferax natura malorum,
Mendoſum inſevit, dextrâ haud parcente recidit,
Et vivum tentat ſcalpello cenſor amarus;
Aſt aliis ſeſe facilíſque bonuſque remittit.
Sed qui ſic ſapiat, dic ſicubi cernere promptum eſt.
Quiſque ſibi indulgens veniæ palpatur & uſque
Condonat. Viden' inter opes ut avarus egentem
Se miſer exclamat, prudentem ſed vocat idem,
Inſanus qui tot gemmas aurique talenta
Accumulet, quibus ut ſacris uſque abſtinet, inter
Mille fluenta ſiti fauces urente ſceleſtas.
Infelix qui quò ſit ditior, hoc minus uti
Divitiis animum advertit. Proh! quantus avaro
Evertit ſenſus furor; & quam cæcus habendi
Quæ non tangat amor, nihilo furioſior ille
Prodigus exclamat, qui latis prædia fundis
Scilicet atque unâ vellet patrimonia menſâ
Lurconum ſocius conſumere. Non furor illi
Eſt ſimplex, rabie indomitâ jecur æſtuat, ardet
Ipſe ſui impatiens, & opes effundere præceps
Impetus, & cœcæ ſtimulat veſania mentis.

Nempe onus eſt illi ſors proſpera, donaque Divûm
Damna putat demens. Uter eſt inſanior horum?
Expugnat cerebrum nempe illi dira phreneſis,
Judice me, nunc ſanus ait mihi Marchio mentis,
Conſiliique bonus, cui pernox alea vitæ
Omne viget ſtudium, cunctas & lubrica fati
Ancipitis ratio ſpes verſat, ubi arma fritillo
Expediens pallet, ſepteni pignora dum ſors
Oſtentans numeri, aut bis ſeptem reddere felix
Puncta viro, lethum trepido aut nova gaudia portet.
Quod ſi dira Canis funeſto proſpera vertat
Exitio, & lætam faciem confundat, ibi exlex
Et furiis ardens extemplo immanibus, omnes
Turbidus incuſat ſuperos, & conſcia clamat
Sidera flagitii, & convicia mille probroſus
Ingeminat, quales (miſerabile) vexat Alaſtor,
Quos ſuper exercens divina piacula Myſtes
Luſtrat, & irrorans ſetoſi aſpergine ſceptri.
Nunc agite, inſano Titani vincla, ſodales
Injicite, æthereo ne bellum indicat Olympo.
Imò ſupplicium quando eſt furor improbus olli,
Ut libet effrænem ſinite uſque libidine ferri.
Plurima nempe aliunde quibus mens ebria ſtagnat
Morborum genera occurrunt. Hoc nectare victa
Connivet ratio; & venis ubi dulcia ſerpunt
Gaudia, deliciis tota innatat, immemor & ſe
Non capit, illecebris ſic blandus decipit error.
Capellanum urit noctesque dieſque furentem

Scribendi verſus cacoethes, & incubat, œſtro
Uſq; domans verſanſq; animũ (morbi genus!) atqui
Dura etſi ampullis turgeſcat inanibus illi
Vena operæ infelix, quam vel tyrunculus inter
Menagi aſſeclas ſuggillet, plaudere pulcher
Ipſe ſibi tamen haud dubitat: ceu dulcis alumnus
Aonidum, cunctis Helicona colentibus unguem
Oſtendit medium, deturbatoque Marone
Invadit primam Parnaſſi in vertice ſedem.
Quis caſus miſerum oppprimeret, ſi forte quis ægro
Demeret errorem Cenſor male vindice dextrâ!
Quàm gemeret fati infelix ſi reddita tandem
Lux animo oſtendat quàm ſe lutulenta Poëſis
Fundat, &, immani quamvis ſuffulta cothurno,
Serpat humi tamen aſſutis ſine robore talis,
Nervorum venerisque expers, & hiulca, ſonumque
Det ſine mente tumens, tinnitu & frigida vano
Perſonet argutas, ubi verſus deſinet, aures!
Heu! perii exclamet cui per vim extorta voluptas
Quæ me mulcebat tam ſuaviter incantatum!

Inſaniſſe pius quidam Fanaticus olim,
Stultitiæ genus inſolitum, vir cætera ſanus
Narratur. Quippe æthereo mentem ebrius hauſtu,
Concentus ſuperûm ſanctæ pars ipſa catervæ
Cæleſteſque audire choros ſibi corporis expers
Ipſe videbatur, jam Divûm gaudia libans.
Phæbæas adhibet Pæon induſtrius artes,
Et morbum pellit (caſum mirare, vel artem,)

Dein pretium poſcit. Men' quidquam mente receptâ
Solvere carnifici, ſtygio medicamine qui ſic
Curatum æthereæ me cætibus expulit aulæ.

Ille placet pulcher ſtomachus, nam ſæpe miſellis
Nil pejus ratione nocet, crudele noverca
Imperium, ferulæque intentat pondus ubique
Increpitans, ſævo nos territat uſque flagello
Improba; dumque ferox morſu & latratibus urget
Aſſiduè incumbens, felle omnia miſcet amaro
Gaudia, ſemper adeſt quaſſans ſermonibus aures,
Et vehemens œſtro trepidos hortatibus implet
Mortales, oneratque minis, ſed dogmata ſæpe
Dat ſua, Joliadâ haud felicior, irrita ventis.
Reginam nobis fingit delira Sophorum
Natio, dat ſceptro ſenſus domitare rebelles;
Id proprium. Magni ſed & illis Numinis inſtar
Pandit iter vitæ per quæque anguſta beatæ,
Et ſancto nitidos componit pollice mores.
Iſtæc digna quidem quæ pulpita quæque ſcholarum
Uſque ſonent, ſed, res ut habet, cui deterius mens
Et ratio ſapiant, plerumque beatior ille eſt.

SATIRA V.

AD

CLARISSIMUM MARCHIONEM

DE DANGEAU.

NEmpe viro vanum non eſt aut futile nomen
Nobilitas, qui cretus avis heroibus, altum,
Dangeadæ ſimilis, genus ornat, & ardua Recti
Culmina quæ tenuere Patres, virtute capeſſit.
Sed mihi difficili calet hepate maſcula bilis
Incendens animum, ſimul ut gentile ſuperbus
Stemma, Ducumque ſonat decora inclyta degener hæres,
Qui virtutis inops, ſegnis, turpique ſolutus
Deſidiâ, lauros, majorum & fortia facta,
Ut ſua ventoſus numerat, Patrumque trophæa
Ridiculus famæ captator propria cenſet.
Tota quidem inſignes exornant atria ceræ
Heroum, memori quos præſtans gloria famâ
Et mille illuſtrant faſtis monumenta vetuſtis.
Queis & Capetiæ gentis Rex aurea gratus

Lilia cæruleo tribuit tria pingere ſcuto.
Sed quid vana juvant tot avitæ inſignia laudis,
Si de tot Ducibus quos latè perſonat Orbis,
Nil præter veteres membranas, & ſtatuarum
Mutarum ſeriem quibus ætas longa pepercit,
Nunc proferre queat? Quid avorum gloria confert
Semideûm ſoboli, maculat ſi turpiter omnem
Inceſtatque domum imbellis vecorſque propago:
Cui decus eſt unum ſublimis & ardua cervix;
Et ſtudium omne viget ſomno ventrique vacare?
Nunc viden' ut ſeſe menrito pignore pulcher
Venditat, & tumidus titulis incedit avitis,
Nempe putes cæli dare jura Quiritibus illum,
Et geſtare luto pectus meliore creatum.
Dic mihi tu Hectoridas fortis jactare propinquos;
Atque animis fidens cognato aſſurgere Olympo,
Dic age, num generoſa putes animalia queis ſit
Sanguis hebes quamvis præſtanti ſemine cretus?
Laudatur pernicis equi vis neſcia vinci,
Carceribus ſimul effuſus micat æquore aperto,
Et palmæ affectans decus, indomituſque laboris
(Nec mora nec requies) ſpumis humeſcit, & axem
Dexter agens, metam volucri velocior Euro
Evitare catus, victor pugilem inſerit aſtris.
At pecus ignavum quamvis ab origine gentem
Neptuni trahat, æthereove è ſemine vitam
Hauſerit, exiguo dominos mutare jubetur
Poſteritas vilis pretio, nec gratia venum

Ulla dari prohibet, majorum aut fortibus umbris
Ullus habetur honos, ſed aratro evertere glebas
Segnipedes videas, duro aut pungente colono,
Ire viam injuſto ſub faſce, gravemque Nepotis *
Attritâ cervice molam verſare gemendo.
Ergo tibi quianam vis condonarier uni,
Ut ſic vana tumens ab inani nomine famam
Uſurpes? Nil me fucus ſpecioſaque larva
Decipiet ſanum, ſed enim mihi nobilis unus
Ille, animus cui ſit veræ virtutis alumnus.
Nunc age, magnanimi ſi te genuere parentes,
Germine ſe tollat generoſo nobile ſemen,
Cura ſit invictâ Rectum probitate tueri,
Et conſanguineos affectus pectore puro
Indue, nec rerum contentus cortice & umbris,
Heroas jactans, fœdam ſectare probroſus
Deſidiam, ludoſque leves, ſed moribus aureis
Integer auguſtos proceres duroque labore
Redde mihi, hoſtiles cuneos perrumpe cruoris
Prodigus, & gelidas ſub dio ducere noctes
Aſſiduus, nihil & tardus thoracis aheni
Pondere, caſtrorum excubias & munia martis
Omnia obi, intrepidum nec te hoſtica tela morentur.
His ſtudiis procerem agnoſco. Tibi tum licet alta
Nomina, tum magnos per me fas ſumere Reges
Quos proavos inter numeres; tibi mille Dynaſtas

* *Juv. Sat. 8. v. 67.*

Elige, pulvereos ſcriptorum conſule faſtos
Ut lubet, eia ducem arbitrio tibi ſanguinis opta
Authorem. Juvenis Pellæus primus avorum
Num placet? An Priami regnorum everſor Achilles!
Aut qui deduxit domitos ad flagra Quirites
Julius? Hoc proprium tibi vindex aſſere pignus
Quod vocet in dubium nemo uſquam lite malignâ.
Hic tibi ſi non eſt generis fons, attamen eſſe
Debuit; Herculeo ſed nequicquam in lare natus,
Jactares orbem patriâ virtute ſubactum,
Si turpis vitii maculis monſtroſa propago
Dedecoras ſtirpem, viviſque domeſtica labes.
Tot majorum umbræ queis probrum ſegnis inuris,
Incipiunt contra te ſtare, facemque pudendis
Admovet illa virûm virtus quam ignavus & excors
Mille notis fœdas immanibus. Illa parentum
Gloria quam faſtu jactas tumefactus inani,
Quid niſi lux radiis tua prodens turpia vitæ
Flagitia, & fœdam conſtans pervincere nubem,
Quam vitiis obtendis iners nervoſque ſolutus
Deſidiâ? Laus eſt tibi ſtertere ſcilicet ante
Ora Ducum quos laudis amor curâ anxius acri
Urebat patriæ ſtimulans impendere vitam.
Hæc decora inſanus quorum fulgore tueris
Segnitiem, hæc titulis & honoribus inclyta avorum
Nomina, ventoſæ ſunt ludicra inania pompæ,
Et mendax ſcenæ ſpecies & larva doloſis
Artificis fuci illecebris accommoda fraudi;

Hîc cortex merus, & pictæ ludibria formæ,
Quando merum nobis nebulonem, perfide, præſtas
Cui ſomno ventrique vacans ignavia fingit
Senſum animi, cui flagitiis corrupta manuſque
Menſque dolos verſat, veſanum, immane furentem;
Cum jecur accenſum fervet. Stat dicere verbo
Cuncta, putris vivis generoſæ termes olivæ.
Sed fors Calliope Procerem ſtomachoſior urit,
Et tumido ore nimis delitigat. Ergo tenellis
Auriculis parco, nec plus urgere laboro
Magnatum ſobolem. Tua dudum cognita faſtis
Nobilitas, & ſtirpis ubique inſignia fulgent.
Novi equidem. Sed dic quàm pridem? Computat annos
Mille ſibi genus heroum, ſed & area ſcuti
Plus tibi terdenis poſſet clareſcere ſciſſa
Teſſerulis. Decus eximium. Cui nil tamen ætas
Ambiguum addiderit. Sanè monumenta loquuntur
Omnia quæ fortes proavi geſſere, ſalutis
Tutores patriæ, nec edax abolere vetuſtas
Evaluit titulos & bellica præmia Patrum.
Nota ſatis. Sed quæ mihi denique ſpondeat ullo
Pignore certa fides, aviarum pectora nuſquam
Annorum hac ſerie flammis caluiſſe procorum?
Certus nimirum noviſti, numquis amari
Dignus, non ſtirpis fontem confudit & audax
Sanguinis adjunxit rivos ignobilis ipſi
Semideûm generi? Quid? Num Lucretia verè
Una fuit matrum tibi quæque, & ductus ab illis

Huc

Huc incorruptâ fluit uſque propagine ſanguis.
Ille fuit fato genitus mihi crede ſiniſtro
Vana lues per quem niveis eſt moribus orta.
Candida naſcentis mundi ſub tempora, cuique
Integritas ſua laus erat unica, legibus æquis
Commoda gens omnis ſibi definire, decuſque
Metiri felix unâ virtute, legebat
Hac duce qui populo leges & jura volenti
Sancta darent, illex probitas tunc ſcilicet una
Judicium vulgi & trabeæ captabat honores.
Stirps pendebatur nihili, nec originis altæ
Gratia, vis & opum, aut aliena potentia cuiquam
Subſidio; ſibi ſtemma, genus, ſtirps & decus heros.
Tempore ſed virtutis honos eviluit omnis,
Et vitio accrevit probitati debita merces
Gloria. Tum vires ignava ſuperbia vanis
Accerſens titulis miſero cladem intulit orbi
Nobilis evadens. Hæc nobilitatis origo,
Ex hoc fonte Duces, ex hoc fluxere Barones,
Et Francis toties agitatus Marchio ſcenis.
Sic cunctis pictum virtus fuit unica ſcutum.
Tunc & ventoſis paſcens deliria nugis
Plurimus emerſit palpo, qui ſymbola, Parmam,
Et gentilitii diſtinxit pignora ſcuti.
Hinc nova tot ſunt nata vocabula, Faſcia, Palus,
Quadrifidæque cruces, Decuſſatæque, minuta
Tænia, apex Galeæ Plumatilis, alveolique
Alternè varii, & quidquid mendace Segondus

Mercurio garrit, ſignatque coloribus index.
Hinc ubi veſanam rationem faſcinat error,
Importuna micans virtus ſe triſtibus umbris
Occultat, fugit & ſtultæ impia ſcommata plebis.
Nobilis hinc nemo niſi cui domus ampla ſuperbis
Porticibus pateat latè, atque aulæa paratu
Regifico, menſiſque ingens effulgeat aurum.
Tum vario ſervos diſtinxit tænia limbo,
Et Dux magnificâ incedens & Marchio pompâ,
Quiſque tulit variis ſe ornatum inſignibus, omnis
Et deſignat herum proprio ſibi verna colore.
  Mox poſtquam immani domus eſt abſorpta ruinâ,
Et ſarcire graves caſus opus; haud pudet alto
Deductum cælo heroum genus undique nummos
Nominibus falſis corradere, quorum ubi multis
Artibus eluſus mercedes creditor urget;
Tandem irriſa Themis dudum, Themidiſque Satelles
Ante jacere fores & mille vorare coactus
Digna indigna, viros arcto compingere magnos
Carcere, dum poſitâ præco bona publicat haſtâ,
Et ruit oppreſſus funeſtâ Marchio clade.
Hinc ſibi ſubſidium proprio quæſivit egeſtas
Dedecore, & vili cæpit de plebe Puellas
Mercari ſibi quæ pretio præſente penates
Suſtentent, tantum & valeant opis addere, quantum
Labis ſordidulæ thalamis illuſtribus addunt.
Nobilitas ſic turpis avos & præmia venum
Omnia dat, penſi nec quicquam infamia, nummis

Dum ſemel emendet fata aſpera, vulnera felix
Vulneribus curare, noviſque abſtergere labes
Antiquas maculis; redimit ſic proſpera damnum.
Nam ſplendor generis ſine re eſt abjectior algâ,
Et qui pauper avos ſonat, inſanire putatur.
Hunc pejus vel cognati averſantur egentem,
Quàm qui lethali contraxit ſydere morbum.
Sed bene nummatum comitatur gratia, pulchrum,
Egregium & quocunque venit ſe ſemine fortem
Quiſque ſonat, licet ignarum quo patre creatus
Hauſerit hoc cæli ſpirabile lumen; & olli
Hozerius centum titulos centum eruet umbras
Illuſtres quarum ſoboles laudetur, herili
Sanguinolentus adhuc ſcuticâ, cui penula poſſit
Et ſua monſtrari quam geſſit de lapide emptus.
At tu quem meritis præſtantem & honoribus auctam
Suſpicimus, duce quando tuâ virtute, tot aulæ
Illæſus ſcopulos, tot ſyrtes victor adîſti,
Tot maris undiſoni vada fervida. Nunc age dignum
Magno quem propius contingis te gere Rege.
Nunc viden' auguſtæ nova ſemper gloria fronti
Ut ſubit, inſigneſque accreſcunt undique palmæ;
Quas mille accumulant belli paciſque labores.
Nempe ſuo mage quam ſceptri ſpectandus honore
Liligeri, ſtudiis non torpet inanibus, aut ſe
Degeneri luxu [illegible]ctus ſomnoque reſolvit.
Nunc alii ſedeant nimirum & pace ſepulti
Otia lenta trahant Reges, & ludicra fracti

Deliciis agitent, Lodoicum mollia ſuadens
Purpura nec frangit, nec curis, quæ ſuper orbe
Incumbunt toto, avertit, ſtat pectore victor
Infracto, ſtat mente vigil, par omnibus unus;
Sic & fortunam docilem parere prehenſans
Conſiliis, unique ſibi ſua proſpera debens
Omnia, pacato Rex imperat ocia mundo.
  Ergo legitimæ ſi te urit gloria palmæ,
Aggredere ô! felix, pulchro nec parce labori,
Judice dum magno clareſcere tendis, & altum
Affectas meritis decus, ardua quæque capeſſe,
Quò dignus placeas. Per te omnis utroque ſub axe
Gens ſciat, eſſe unum divino munere Regem,
Cui ſint magnanimo populares Principe digni.

Digitized by Google

SATIRA VI.

PRoh Superi! quianam tantis plangoribus æther
Rumpitur? Ergo cubant hîc cives nox ut agatur
Inſomnis. Furiis feles immanibus actæ,
Concurrunt rabidæ tectis ex omnibus, & me
Certatim infeſtant; tum lecto turbidus horror
Excutit: at ſtratis nil prodeſt ſurgere; credas
Huc totam nigræ Stygis immigraſſe cohortem.
Dirùm nempe fremens imitatur tigridis una
Sævitiam, infantis vagitus altera reddit
Triſte rotans vocem. Cladis genus inſuper urget
Ecce aliud: Feles ſedenim ſocia agmina jungunt
Muribus, & poſitis odiis conjurat uterque
Me populus premere, & dulcem expugnare ſoporem.
Importuna magis ſors hæc mihi nocte ſub atra,
Abbas quàm medio fuit unquam ſole Puræus.
Sed quid ego imprudens levia hæc queror, undique preſſum
Cum ferit & frangit ſeries immenſa malorum?
Nam vix perſonuit galli vicinia cantu,
Et miſeros ad opus clangoribus ales acutis
Excitat, auroræ, jam rareſcentibus umbris,

Non procul hinc operæ inſtaurantes ſtrata viarum
Ferre pedem retrò cogunt. Ecce omine diro
Et crux offendit; quin celſus turre ſub altâ
Tectâ novans latomus, laterum vim decutit, imber
Denſior ut guttet non ſtillet. At ecce coruſcat
Sarraco veniente abies, cladémque minatur
Horrificam nutans. Vix ſex cervice jugales
Contentâ maſſam trahere, & ſtatione movere
Sufficiunt, & ſe per lubrica ſuſtentare.
Dum molitur iter ſub pondere currus iniquo,
Ecce rotæ incurſat rhedæ quo protinus ictu
Impingens provolvit humo, cœnoque volutat
Vectores pavidos: properans alius male ductor
Exitium ſimile incurrit. Mora nulla ſequuntur
Et tractim ſubeunt ſimili diſcrimine currus
Innumeri, cladi ſed ne quid deſit acerbæ,
Ecce boûm huc trudit caſus miſerabilis agmen.
Nemo non certat ſe ſe extricare: querelis
Hic pulſat Superos, ſævit mugitibus aura,
Dirum acuunt ſtrepitum ſævis tinnitibus hinni,
Mox & equi centum turbæ immiſcerier illuc
Adducti gliſcentem augent ſine more tumultum,
Nec locus eſt ulli effugio, non expedit ullus
Vici inflexus iter, totas hic nempe cohortes
Involvit caſus. Fraudis plebs neſcia, pacem
Totâ mente fovens inſanos pœne furores
Reddit quos olim afflavit diſcordia demens.
Tam dirus ſævit vario certamine clamor,

Ut vix ipſe tonans rex audiretur Olympi.
Hîc ego cui lex eſt, noctem ducentibus aſtris;
Illuc ire trahit quò mentis amabile pondus,
Stare loco impatiens, vitæ diſcrimen adire
Certus, iter tendo, mihi deſperatio vires
Suppeditat quando Superis averſa voluntas.
Fervidus undantem turbam fluctuſque prementum
Impello, in partes verſo me lubricus omnes
Obicibus ruptis, rivi nil imbre tumentes
Impediunt, addit mentis furor igneus alas.
Æſtus anhelantem dum me ſic ille fatigat,
En ſublimis equo peditem me pulſat & ungit
Guenaltus cœnum incutiens. Subducere memet
Cura ſubit turbæ, & maculas expungere turpes.
Immemor at quò mens agitabat tendere, caſus
Ut me fert anceps, huc deferor, angulus offert
En ſe oportunus quò me componere poſſim,
Atque habitûs certâ ſub lege reducere formam.
At ſubito immenſum cœlo ruit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes, ruit arduus æther,
Ceu Superis viſum cava nubila rumpere rurſus,
Diluvioque iterum terras delere nocentes.
Aſſere vel tigno pontem ſpumantibus undis
Quiſque ſibi facit. Hac rivi tranſmittere foſſam
Bullantem tabulâ cunctis labor; hac tranſire,
Quamvis juſſa premant, vel verna procacior horret.
Hæc tamen una patent tremuli compendia pontis.

Tempeſtas

Tempeſtas ſine more furit, torrentia tectis
Flumina præcipitant, rivus tumet æquoris inſtar.
Hac iter eſt, mihi ſed trepido veſtigia nutant.
At me vis quatiat quantum libet illa procellæ,
Maturare fugam nox me tamen acrius urget.
Nam ſimul ut veſper ſucceſſit ſerus olympo,
Et mercatorem duplici ſera vincta catenâ
Invitat numerare lucra, excuſſiſque libellis
Digerere in ſummas, fora cum plateæque quieſcunt,
Protinus invadunt latè omnem fuſa per urbem
Agmina latronum, data præda Lutetia monſtris,
Fit ſpelunca, neces, horrorem, incendia, lethum
Perniciemque ferens, nulla eſt infeſtior ora
Barcæo in ſaltu, aut Scythiæ per inhoſpita luſtra,
In Thracum mage ſecurus regione viator
Carpat iter. Miſer ille mihi proh! terque quaterque
Veſpere quem ſero res improviſa coegit
In vici anfractu funeſtâ ſorte morari.
Quattuor extemplo ſtrictis mucronibus hoſtes
Ecce necem intentant. Morere, aiunt, aut loculos da,
Fruſtra obluctεris, fato parere neceſſe eſt.
Nî facias, ferro cæſus numeraberis inter
Inſignes caſus, totâ & cantaberis urbe.
Aſt ego commotæ quem terret arundinis umbra,
Oppreſſus ſomno, Heſperiis ubi mergitur undis
Occiduus Titan, lectum peto. Lampade ſed vix
Extinctâ, ſtratis me Morpheus urget in arctis,
Audax en furum legio circumſtrepit ædes

Obſeſſas, plumboque quatit furioſa volante
Clauſtra domûs, ſtrictamque arctâ compage feneſtram
Convellit, paſſim furit & per compita clamor:
Suppetias, cives, pereunti ferte, trucidor,
Me miſerum jugulat crudo ſicarius enſe.
Injectis facibus civis mihi proximus ardet.
Vix ſpirare datur, pavitantia pectora pulſat
Et tremor & fremitus. Totam prope nudus oberro
Per noctem, ſpiſſam Vulcanus ad æthera nubem
Igneus eructat, priſcæque incendia Troiæ
Multâ clade, refert, ubi diri miles Ulyſsî,
Atque Argiva phalanx, ſpirans immane per urbem
Exitium, prædas abigit nil territa tortis
Vorticibus, latè & mortes ſpargente favillâ.
Unco multiplici tandem eruta ſedibus imis
Tecta ruunt, unâque extincto fomite flammæ
Intereunt, piceâ fumat caligine turbo.

Aureus at jam ſol radiis ferit æthera, cum me
Invitat remeare domum lux reddita terris.
Confectum ærumnis ſed cum dare membra quieti
Invitat labor emenſus, mihi copia ſomni
Nulla datur, magnis opibus dormitur in urbe.
Id vaſto præſtare domus ſummota receſſu
Una poteſt, ubi nulla ſtrepit vicinia vulgi.
Magnus Pariſiâ nil fortunatius urbe
Orbis habet, Plutus tibi ſi favet aureus. Illic
Ruris deliciæ nullo non tempore præſtò
Sunt tibi, te penes eſt, terras aquilone ſevero

Vel dum durat hyems, viridaria flore fovere
Perpetuo, veriſque æterni dona tueri.
Hîc inter denſam frondenti vertice ſylvam,
Aut Arabum plantis ditiſſima rura pererrans,
Dulcibus indulgens curis grata otia lentus
Ducere, teque potes gerere omni ex parte beatum.
Aſt ego nullius certi laris incola, durus
Vitam agito, & Superis ut viſum, ſic tueor me.

SATIRA VII.

NUnc alio tibi more ſtyli componito formam,
Calliope, ſatyræ ſtudium exitiabile prudens
Abjice: nempe malam maledictum nil niſi peſtem
Fert utrobique nocens. Maleſano hoc fervidus æſtu
Plurimus ut laudem affectat, ſibi acerba paravit
Mille probra infelix vates. Quin vocula ſæpe
Ludicra, quæ falſè lectori gaudia fecit,
Auctori caſu lachrymas excuſſit amaro.

Putida laus, calami frigentis ſegnis opella,
Sedem nacta gravis nulli, putreſcere tutâ
In ſtatione poteſt intra forulos Apothecæ
Secura exitii. Nemo illi ſcilicet hoſtis
Muribus exceptis, blattiſque & pulvere. Nuſquam
Judicium vulgi ambiguum & ludibria curat
Aut timet. Aſt ſcriptor ſale qui conſpergere mores
Et ſtudia attentat, riſumque movendo facetus
Cuncta ſibi ludos facit. Hic quem lector acerbus
Damnat, amanſque tamen fovet, & ſibi fortis
Aſſerit, hic, inquam, laudator cui ſuus, hoſtis
Nil minus evadit, ſincero lædere Vero
Uſque ſolet tacitâ queis ſudant pectora culpâ;

Cuique ſua occurrit facies depicta fideli
Auctoris ſpeculo. Qui te mage laudibus effert
Voce planus blandâ, te funditus horret & odit.
Ergo nequicquam prurigine mens tibi fervet,
Calliope. Si quid numeris & voce canendum eſt,
Heroem numeris & thure tibi elige dignum,
Porrigitur quâ terra vago circumſona ponto,
Auctor ego audendi ſed ſum tibi grandia vanus.
Litterula affinis laudi miſero mihi nulla
Omnia tentanti ſeſe offert, cædere frontem
Aut pluteum, digitoſque cruento rodere dente
Nil prodeſt, Genius ſi quid mihi parturit, illud
Duritie Capellanam ſuperare Puellam
Experior, veluti piſtrino addictus, anhelans
Irrita deſudo, abluctatur charta ſtyluſque.
Sed jactare ſales ubi opus, ſplenemque cachinno
Exhilarare, meâ verſari memet arenâ
Agnoſco pugilem: tunc ſum mihi jure Poeta,
Phœbus adeſt dexter, votiſque vocatus, alumni
Sponte movet ſenſus, illo aſpirante, decoro
Ordine certatim cernas ad juſſa venire
Et numeros & verba: tenor viget ille perennis.
Eſt Pariſiacâ inſignis pingendus in urbe
Furcifer? Actutùm nullo mihi Muſa labore
Saumavilum ſcribit. Specimen vin'cernere putris
Eximium ſtolidi? rhythmus tibi cominus offert
Saufalium. Genius natalis conſcius aſtri,
Aonios fontes aperit mihi carminis auctor.

Vin'tibi & inſulſum verſus ſine fine furentem
Fundere frigidulos deſignet Muſa Poetam?
Caſtalius ſalit hîc mihi pleno gurgite torrens,
Ecce Poetaſtri, nec eos numerare poteſtas,
Turmatim occurrunt Colletetus, Titravilla,
Pelterius, Prado, Bonecorſius, & Perrinus,
Mille dehinc alii. Placet hîc ſibi & improba plaudit
Calliope, tacitoque agitat ſibi gaudia ſenſu.
Dum ſic indomito fervent præcordia Phœbo,
Fruſtra animum pulſat ſtimulo mens mota benigno
Sollicitans, ſævum hunc Muſæ compeſcere ludum
Ut placeat, lentuſque ſinam hæc examina vatum
Pace frui, erroremque ſuum ſibi quemque fovere.
Sed qui me thyrſo preſſum furor entheus urit,
Parcere non patitur cuiquam. Juſtâ omnia lance
Penduntur, regit examen lex unica Verum,
Et merito pretium ſtatuit. Me pondere flectit
Una ſuo Virtus dominatrix ſenſibus imis.
Sed fatui ſpecies mihi non tolerabilis ulla.
Non aliter prædam inſectatur anhela canum vis,
Quam fatuos ego latratu morſuque fatigo,
Nec prius olfacio, quàm ſurgens maſcula bilis
Incendit ſtomachum. Sed quid tot inania jacto?
Callidus argutum verbis attexere rhythmum,
Atque catus proſam numeris vincire malignam,
Nil ſum præterea. Si quid valet, hac valet arte
Calliope, data fata ſequi laus unica vati.
Sic mihi (ſeu juveni mors caſſibus imminet atra

Lethiferis, placidam ſeu proſpera fata ſenectam
Indulgere velint) ſtat verſus ſcribere, vitæ
Quiſquis erit tenor. Ærumnis confectus, opumve
Dives agens, hilaris, luctu conſumptus amaro,
Ruricolas inter, ſi fors ita juſſerit, ulnas
Sive ruas inter, formoſa Lutetia, degam,
Vulnifico uſque premam fatuos mucrone cruentus.

Stultitiæ quid ſic miſerum genus inſanire,
Eſt tibi mens, aiunt? genium cohibere furentem
Diſce, cave ne quis tua ſcommata dira peroſus,
Pruritum hunc fuſo compeſcat ſanguine vatis.

Dic age, Lucilî ſtudium ſectatus & artem,
Bilem Flaccus ubi catus exercere jocoſam,
Auſus & introrſum turpes apprehendere, pellis
Ut detracta viros genuinâ fronte notaret,
Virtuti decus oppreſſæ & ſua præmia vindex
Aſſeruit; vel dum Juvenalis felle madentem
Uſque ſtylum ſtringens, mordax ut in hepate bilis
Fervebat tumido, ſecuit populumque, Patreſque
Fulmineus Latios; ſine ſanguine nunquid uterque
Non obiit? Cedo quid furor ille afferre Poetæ
Exitii demum poterit? nos noſtraque tutæ
Defendunt latebræ. Nulli mea forma canendi
Cognita, nec facies, nec nomen, nec furit æſtu
Calliope inſano, foliis impune volumen
Æmula Montrolî farcire & dicier hæc eſt:
Nec niſi vi factâ adducor, quos ſcriptito verſus,
Ut quandoque legam. Genii expugnator amicus,

Quem ſatira oblectat, vix hoc extorquet; at ille
Forte mihi palpo vocem dum tollit, opellam
Commendans, tacito impoſtor convicia ſenſu
Dictitat auctori. Cordi inſidet illa voluptas
Unica, in hunc operis componere carmina morem.
Vis deeſt apta loqui, tum nulla ſilere poteſtas.
Si quid quo pacto mihi mentem pungit acutè,
Prolatum, mora nulla mihi quin codice pulchrè
Deſcriptum niteat. Sic me imperioſa miſellum
Vis fati domitat nullâ eluctabilis arte.

Hæc dixiſſe ſatis; jam nunc requieſce parumper
Calliope, & vires tibi collige. Mî manus ægra
Officium negat; ergo ſile poſt dura laborum,
Cras opus & caſus gnavi renovabimus omnes.

SATIRA VIII.

HOMO.

OMnibus in terris, vel quas aſpectat Eoo
Purpureus vultu, vel quas medio igneus axe
Torret ſol horis flagrantibus, & quot Ibero
Deſpicit Oceano propior, mihi nulla reperta eſt
Serpentum, aut volucrum ſpecies, vel quadrupedantum;
Quâ non deterius ſapiat vel fœdius erret
Gens hominum. Quid? Vermiculus formica-ve reptans,
Quæ vix dimidio ſuſtentat ſanguine vitam,
Vel petulans hircus, vel torvâ fronte juvencus,
Plus ſapiunt illo cui Rex dedit altus Olympi
Imperitare Orbi? Sic res habet, Optime; ſed tu
Attonitus palles. Sed enim, inquis, nil habet Orbis
Egregium, quod non homini natura crearit
Regnandum; pecudes, nemora alta, & roſcida prata,
Agnoſcunt Dominum. Nihil hoc moror; at miſer inde
Vanior arguitur cunctis animantibus eſſe.
Hæc mihi tu ſatyris, ais, apta movere cachinnos
Compoſitò ludis, ſed frugis inania cuncta.
Credam ego, ni momenta, fidemque & pondera ludo

Addere feſtinas. Ergo ſpineta ſubire
Aſpra ſcholæ tecum cogis Sophus. En mora nulla,
Aggredior. Sapiens age dic quis habendus? hic ille eſt,
Quem ſibi conſtantem quatiat vis nulla procellæ,
Flamma nihil pravæ funeſta libidinis urat:
Cujus conſiliis Pallas moderamine juſto
Præſit, & exactâ libret jura omnia lance.
Nec gravior quiſquam Themidis ſubit alta Senator
Limina quam mentis ſapiens molimina punduſque
Ad normam expendit. Verùm lex illa moduſque
Omnia componens in Recti cardine fixa,
Ecquando regit humanos vitæ arbitra ſenſus?
Quando non homini ratio dormitat, & exlex
Omnibus incæptis abnormem regula ludit?
In toto vivit nihil infelicius orbe.
Cerne hyemis memor ut magno formica labore
It campis Cererem populans, atque addit acervo
Ore trahens. Sed ubi tellus aquilone ſevero
Triſte riget, latéque arvis ſquallentibus horror
Incubat, illa latet frumenti dives, & Euros
Vimque Noti pleno temnit ſecura cubili.
Verùm eadem ſtudii ſibi conſtans fœdera ſervat
Certa ſui, nec eam videas, ubi vere tepenti
Solvit humum Zephyrus, ſegnem torpere veterno,
Aut ubi ſævit hyems duris ignava colonis,
Triſtibus errantem campis abducere prædas.
Contra homo, nec certo curarum fine, nec ullâ
Lege vagam mentem per ſomnia mille volutat;

Semper inæqualis ſibi fluctuat ordine nullo.
Quod nunc efflictim cupit, hoc cane pejus & angue
Mox fugiet. Vitæ ſtudio diſconvenit omni.
Mene maritali ſic porrigere ora capiſtro,
Ut conjux ſtudiiſque procax & perdita luxu
Contingat? Mihi non adeo frons ferrea, contra
Ut durare queam tot triſtitia fata, mariti,
Quæ vos uſque manent. Jam nec vacat addere memet
Egregiæ ſocium genti, quam Buſſius aſtris
Inſeruit. Fatuos alioqui haud defore credo
Quos ſua præclaro celebret fortuna per urbem
Nomine; ſic nuper mihi faſtu turgidus ille
Jactabat Thraſo qui decies ſibi ſurgere ſolem
Non paſſus poſt hæc, quin vincla jugalia ſponte
Incurrens animo manſueſcere diſceret, omni
Exemplum turbæ memorabile, cui Deus uni
Conſortem thalami coſtâ meliore creatam
Annuerit, priſcis exæquandamque Sabinis.
Sic homo mente ſibi diſpar mutatur in horas,
Et vix ferre poteſt ſeſeipſe, ſodalibus æquè
Ac ſibi ſupplicium cudens, nec firmius oris
Huic color atque animi votum quàm calceus hæret.
Quælibet aura rotat varium, cadit impete nullo
Impulſus; nunc arma fremit ſub caſſide ſævus
Terribili, duro qui cras teget ora cucullo.
Hunc tamen inſanis ubi fæta vaporibus inflat
Ambitio, pulcherque placet ſibi, & ebrius alta
Somniat, Athlantem credas Geniumque Deumque

Quo ſine tota ruat tellus, ruat arduus æther;
Cui pecudes, elementa, polus famulentur, & aſtra
Unius cauſâ ſuperâ in regione rotentur.
Quis dubitet regem naturæ, ais? Hæc ego forſan
Vana putem. Verùm, eſto (placent tibi ſomnia quando;
Et fumis inhias) antris & vertice nudo
Pyrenes, hominum veſtigia & ora tremiſcat
Urſa oblita feram. Fas & ſitientibus arvis
Deſertæque jugis Libyes, ſævire leones
Paſtorum nutu dediſcant, ſylvaque latè
Armentis Dircæa ſonet. Sed nunc age Regem
Qui ſe vana tumens jactat, quot ſponte tyrannis
Obſequitur miſer, & quàm dura compede vinctum
Ambitio, vel cæcus amor, vel gloria fallax,
Vel pallens livor, verſatque trahitque catenis
Implicitum! Vix heu! Sub noctem membra quietus
Compoſuit ſtratis, & Morpheus urget amicè
Irrorans, cum ſomni expers inclamat & aurem
Vellit Avaritia: Indomitum ſic ſtertis, ubi urgent
Et circum pungunt te mille negocia? Surge.
Quid premis? Hem, piger, obloqueris, ſurge, inquit acerbè
Vociferans. Vix dum naſcens aurora rubere
Incipit, atque ſilet clauſis urbs tota tabernis.
Surge. Vigil quid agam? Navem conſcende, recenti
I, pete mercator populos ſub ſole tepentes:
Mox urbes Aſiæ extremas atque Indica luſtra
Æquora, mutatâ nigrum piper advehe merce,

Succina, Caſtoreum, thus, lubrica Coa, tapetas.
Sed me ditat opum fæcundo copia cornu,
Plus nimio felix. Ecquæ ſatis eſſe beato
Divitiæ poſſunt? fac ſemper creſcat acervus
Quem ſtruis, & ſocios & cæli ſydera falle,
Mente, manu, linguâ perjurus; Parce paratis,
Remque puta ſacram nummos quos ſtrangulat arca
Undique collectos; licet & tantum horrea condant
Triticeæ frugis, quantum metit Appulus, alvum
Paſce tamen ſiliquis immitem & pane ſecundo,
Et pigros toto ſervorum limine ventres
Pelle, tibi nec menſa, focus nec ſplendeat ullus,
Neve habeat lautum quicquam domus atque ſupellex
Theſauris licet exſuperes tellure repoſtis
Quas ludo quæſivit opes Galetus, & idem
Amiſit ludo. Jove ſub frigente cubile
Nuda tibi det humus. Jugulum præbere latroni
Sit potius, quàm ſi furtove teruncius aut vi
Ablatus leviora tibi marſupia reddat.
Scilicet hæc in te exercebis durus, ut hæres
Curatâ cute turgidulus, ſpoliiſque ſuperbus,
Ærumniſque tuis doctus feliciter uti,
Se magno curru ſublimem oſtentet, & urbis
Compita per vicoſque frequens ſplendore tumultuque,
Attonitos plebis ſtupidæ præſtringat ocellos.
Sed quid ages? Nautæ per littora rauca ſtrepentes
Ire jubent, Zephyroſque vocant clamore ſecundos.
Parte aliâ (illecebris ubi nil valet improba nummi

Frangere ſpes animum) aggreditur mora nulla quietum
Ambitio ſtimulans, vaniſque furoribus implet
Sanguineus Mavors. Viden' ut ſeſe arduus infert
Per cuneos campo volitans, & funera ferro
Denſat præclaræ ſitiens necis. Aſpice, magni
Cæſaris ut laudem cupit & decora alta referre,
Enſe viam crudo faciens, dextrâque prehenſans
Hoſtilis turres & propugnacula valli,
Demens qui cadere ante diem feſtinet, inanes
Venatus fumos, & vanam nominis umbram.

Heus tu, ais hîc, magnos heroas parce jocando
Vellere; quod carpis veſano ſcommate mordax,
Fortis Alexandri laus id fuit. Ergo Philippi
Hoc pacto proles inſaniit. Hoc mihi ſemper
Conſtitit à puero, nec peſtis ſævior ulla
Hoc prædone fuit, Superûmve immanior ira.
Nempe æger rabie indomitâ, vaſtumque furorem
Mente furens (dirum morbi genus!) æſtuat, & ſe
Non capit infelix anguſto limite mundi.
Nec ſatis. Humani dum ſanguinis improba fauces
Indita naſcenti ſitis urit, ſomniat & ſe
Ab ſummo Jove prognatum, ſibi tradita ſorte
Regna aſpernatus, latè prædator Eoas
Infeſtans gentes, Aſiæ pulcherrima vaſtat
Imperia, exciſas imis à ſedibus urbes
In cinerem ac tenues gaudens abiiſſe favillas,
Et ceu nullius laris erro, cuncta vagatur
Littora per populoſque, ſinuſque, extrema rubentis

Oceani fluctu quos divite proluit unda :
Nec finis fuit errandi, niſi cum furor orbem
Impius, & ferro ſcelerata amentia vertit.
Felix ſi certas habuiſſet Pella viritim
Tunc aſſignandas furioſis provida cellas,
Et cognatorum ſententia cauta futuri,
Aut ſapiens illo rabioſum carcere tutor,
Clauſiſſet toti ſimul inde ſalutifer orbi !
Verum hæc propoſito quæ tantum affinia, mitto,
Nec mihi ſtat quotquot domitant humana tyranni
Corda, ſequi verſu. Manet hæc te Cura, Senalte,
Teque Coeffetide; vos ſcripto & voce diſerti
Excutite hæc buccâ populus quæ captet hiante.
Nunc homo, nunc tantùm quâ pulcher parte niteſcit,
Obſervare vacat. Nempe unus moribus æquis
Et patiens cultûs, aiunt, civilia jura
Et leges ſibi deſcripſit, ſanctumque Senatum,
Et Reges legit auguſtos qui fœdera paceſque
Inſtituant juſto arbitrio, populoque ſeveri
Imperitent. Rectè ſed nullâ lege volentes
Jura fidemque colunt pecudes, nec milite cinctus
Imperat his Rectum Prætor, Themidiſque ſatelles.
Quando vias prædis infeſtavere luporum
Agmina ? Quando pares nobis, quò longius horto
Aut tecto pateat ſpatium, bella impia bella
Tigribus indicunt tigres, latéque cruentant
Hircanos ſaltus ſtudia in contraria ſciſſæ ?
Quo nemore inter ſe rabidis non convenit urſis ?

Quâ regione lacer ſub vulturis ungue recurvo
Occubuit vultur? Dic quo ſaltu arida nutrix
Africa monſtrorum, cognati ſanguinis unquam
Immemores ſævo concurrere marte leones
Viderit, & propriâ ſibi clade parare tyrannos?
Nulla adeo indomito vivit fera corde, ferini
Cui non ſponte cadant mores ubi bellua tergum
Picta pari maculâ ſylvis occurrit, aguntque
Perpetuam pacem ſine jure & pignore, tutæque
Antra colunt eadem. Nunquam Jovis ales, agelli
Jugera prætexens fratri quæſita caduco
Jure, diem dixit, nec vulpes ipſa doloſâ
Gallum lite petens unquam dedit ulla Roleto
Munera, dextram onerans nummis & faſce ſiniſtram.
Nunquam pruritu rigidæ tentiginis ardens
Cerva vocatum in jus ſylvis extraxit in urbes
Comparem, opus veneris quaſi nervo ſegnis obiret.
Nunquam congreſſu indicto dimiſit utrumque
Ridiculus Themidi Prætor feciſſe ruborem
Turpia decernens. Vadimonia nulla, libellus
Nec ſupplex illis ullus, nec Curia claſſes
Per varias litem verſans, nec ſumma Senatûs
Inferiorve exedra quietis ocia turbat.
Securis ævum exigitur ſub ſimplice Recto,
Unus homo oblituſque ſui ſitienſque cruoris
Fraterni, dirâ execrandus laude triumphat,
Dexter ubi conſanguinei jugulo abdidit enſem.
Nec ſatis effoſſum exacuiſſe in vulnera ferrum,

Et

Et latè certas tormenta vomentia mortes
(Tartareo dum fæta tument præcordia nitro
Urbibus exitium & templis) cudiſſe, nefandis
Artibus infeſtæ ſtygis & Plutone magiſtro:
Certior extremam cladem inſuper attulit orbi
Dirus homo obſcuri cum codicis inſtrumento,
Et malè compactâ legum farragine, jura
Compoſito intricans commentis mille, bilingues
Quæ rabulæ innectunt, Themide opprimit atque
ſceleſtis
Arma dat, orator ſua dum mendacia vendit.
Plurimus atque fori ſubſellia rumpit anhelans,
Prægrandi tumidus pulmone & inania ſudans.
Quid ſic vana furis? Nempe ut maria alta tumeſcunt
Fluctibus alternis, & vaſto murmure littus
Verberat unda ſtrepens, ſic cæcum turbidus æſtus
Sæpe hominem jactat verſatque libido tumultu.
Sed levibus fœdum nævis, age, pulcher honeſtat
Virtutum chorus & ſuperûm mille aurea dona.
Nunquid non radioque potens, & mente ſagaci
Gens humana, poli ſpatia aſtrorumque meatus
Deſcripſit brevibus tabulis, cauſaſque latentes
Veſtigans, curas per cuncta impervia volvit?
Quid pecora? An cultûs frugiſque capacia? Nunquid
Illis ullus amor doctrinæ? Num ſchola? num quis
Ordo Facultatum quadruplex? Academia, ſedes
Muſarum nunquid viget ulla, aut ullus Apollo?
Quis medicas illis Pæon induſtrius artes

Exercet? Dic quis legum Juriſque peritus
Murice conſpicuus, muſtellâ aut fulget in alba?
Non ita deſipiunt, nec ſylvis ullus in altis
Faſcinat innocuum pecus infeſtatque venenis
Pharmacopola vagus. Nemo arte ſophiſta malignè
Hirſutus, raucis clamoribus ilia rumpens
Pulpita perſonuit. Sed jam mihi quærere porro
Non vacat, ingenio num quid comprenderit uſquam,
Aut quidquam ſe ſcire ſciat, deceptus inani
Aucupio ventoſus homo? Cedo, moribus iſtis,
Quis tandem eximiis precium artibus aut decus addit?
Quæ fortuna fovet Doctos? Age, ſi tibi fixum eſt
Ad tua purpureos proceres accerſere victor
Limina, rem facere & Plutum colere uſque memento.
Hæc Genitor nato primâ lanugine malas
Florenti inculcat) ſtudium fuge Palladis omne,
Mercurio addictus. Dic, quid centeſima, quinâ
Exactâ mercede tuis rationibus addet?
Vicenâ creſcet. Sic macte age, Nate, beate
Iſtius ingenii, ſapis ut decet, omnibus euge
Te titulis opibuſque potentem gloria tollet,
His etenim via proceſſûs patet optima ſummi
Artibus. Hem, Juris quo res Æraria conſtat,
Conde animo normas penitus, legeſque doloſas
Fœnoris, & quidquid Mazuri rubrica notavit,
Rectius iſta ſtruent tibi rem quam ſcripta Platonis
Digna licet cedro. Regi provincia quæque
Quid referat ſale diſtracto, Portoria quantum

Vectigal fiſco adjiciant, noctéſque dieſque
Diſce tenax ſtudii; Vulpes tibi corde ſub imo
Componat ſenſus, trux & leo, & aſpera tigris,
Et ſi quid terris violentius indue mente.
Concinnare dolos felix fraudeſque clienti
Nectere, perjuro pietatem finge ſceleſtus
Pectore, falle ſciens, & ficto nomine perde
Ingenuos cives, te nec reverentia juris
Ullius teneat, pietaſve pudorve moretur.
Viſceribus miſerorum & ſanguine paſcere puro.
Sic, modo lyncæos importunèque ſagaces
Colberti fallas oculos fucòque doloſus
Imponas, ſemper florentibus aurea fatis
Victorem invidiæ ſors ſponte fovebit amica,
Sanguine quantumvis madeas & cæde cruentus.
Tum te venales Muſæ, tum Rhetor, & omnis
Permeſſi chorus, & Sophus, & qui ſydera ſervat
Sera Mathematicus, linguis celebrare beatum
Omnibus aggreſſi titulis inſignibus (eia!)
Extollent cunctis velut artibus excellentem
Quas agitant Docti, ſummoſque heroas ab alto
Dejicient cœlo, Indigetem quò ſydera ſupra
Te ſtatuant elatum humeris. Cui Plutus in arcâ
Fulgeat, ille, & ſi circum præcordia ſanguis
Friget hebes, fortis, ſapiens, & ſtemmate clarus
Illecebriſque potens fandi, matriſque Diones,
Muneribus pulcher ſplendet, Magnatibus æquè
Ac populo cultus, calet illius igne Puella

Omnis ſuſpirans, fulvis ea gratia nummis:
Dote caret nullâ dives. Cælo omnia parent
Et terris olli. Dic ſicubi vel Venus ipſa
Non facilem ſeſe ſub ſpondâ indulſerit aureâ,
Cum precio largus redimit ſua gaudia Regum
Præfectus gazis cuſtos. Sed enim omnia pulchræ
Divitiæ decorant etiam turpiſſima. Formæ
Eximios cenſus deformibus afflat honores,
Sed ſine re infelix virtus inhonoraque ſordet.
Imbuit his natum Genitor cui fœnore crevit
Perpetuo nummus. Diteſcere quiſque repente
Sic poterit: ſic & magnam quæſivit opum vim.
Qui modò callebat longis rationibus aſſem
Dividere, & nummos exactâ cogere ſummâ.

I, nunc divinis labor impalleſcere chartis
Sit tuus, horrorem & ſanctas perrumpe tenebras
Ingenii niſu; metuendum Syrtibus æquor
Ingredere, atque nota ſcopulos ibi mille latentes.
Remige felici quos prætergreſſus adîſti.
Calvinum contunde, furentem & vana Lutherum.
Ambiguas veterum lites compone laboris
Et ſtudii felix, doctam pervincere nubem
Aggredere, interpres ſudans ubi plurimus hæſit.
Nempe tibi poſt tot ſudata volumina pulchrè
Res cedet, ſi jam canus frigente ſenectâ,
Doctum opus, aureolis cui coſtas dives aluta
Veſtiet inſignis guttis & murice vivo,
Felici dones fatuo, qui nempe dicatum

Accipiens verbo grates vix ſolvat inani.
Uberiore placent ſed fors compendia quæſtu;
Fortunæque inhias votis majoribus. Ergo
Sorbonici rixas & jurgia docta Lycæi,
Velleris & nivei decus & ſubſellia muta
Vel Scribæ tabulis, vel quas tibi Dama Redemptor
Præpoſitus fixo contexuit ordine pulchro
Digeſtas. Sine ſe Thomæ Scotique juventus
Vellicet æternùm diſcors, ſine jurgia pace
Componat, verbo dic mecum gnaviter uno,
Doctorem eſſe mere fatuum caput. Improbe, parce
Objectare viris tibi propria, vane Poeta,
Aonidumque chori Myſtis. Age, frivola mittens,
Res ut habet ſpecta. Num lex & regula vitæ
Non hominem ratio regit, & fax prævia, duxque,
Et Cynoſura viam pandens prælucet eunti?
Præclarè. Sed quid toties (ubi ſana reclamat,
Et miſerum revocat per aperta pericla ruentem),
Se tamen irato fidit committere Ponto,
Syrtibus & ſcopulis properans illidere cymbam?
Quis furor innocuæ tot ſomnia vana papyri
Exitio, tot quiſquilias ſubmittere prælo?
Hæc ratione audit fruſtra clamante Cotinus,
Nec ſapere advertit, creſcit cacoethes, & uſque
Scripturit. Vaſto vicinos muſa boatu
Terrificans latè fugat. Hic etenim ut ſemel arſit,
Et monſtris furibundus anhelans carmina vates
Turbidus eructat, nequeunt conſiſtere tecto.

Et tolerare virum ſervi, vis tanta procellæ.
Sanè naturæ leges ſibi ſegnis aſellus
Sorte datas ſervat placidus, nec ſe ſolet ultra
Quærere. Non illum, quamvis rationis egentem
Suggilles, videas ſylvis inſueta rudentem,
Garritus avium tentare &, Aëdona cantu
Vincere ſi poſſit, contendere. Vis agit illum
Una ſequax Recti, nec eget monitore, vel arte,
Vel duce. Proh! quantùm diſpar homo! quàm veſanus
Indole ab hac diſtat! ſed enim quò purior illi
Fax lucet rationis, eò infelicius errat,
In medioque die ſine lumine turbidus, excors,
Et ſine conſilio per devia teſqua vagatur.
Nil ſanum exequitur, licet huic latus urgeat, aureſque
Impleat aſſiduè fidis hortatibus alma
Soproſyne; temerè nil non deſignat, agitque;
Nec modus huic curas ullus vel gaudia fingit.
Æquus, iniquus, amat ſimul, & ſimul improbat, idem
Diſſimiliſque ſui. Verſant fors atque libido
Ambiguum; Placidus favet, inſectatur & odit
Moroſus, dat & aufert, diruit, ædificatque
Diruta; judicii huc atque illuc fluctuat exſors.
Dic quibus in terris panthera vel urſa paveſcat
Quod ſibi portento monſtrum confinxit inani,
Aut conviva tremat ſimul ut numero impare menſæ
Aſſidet, aut triſtes ab ovantis gutture corvi
Permetuat caſus? Ohe ecquæ bellua ſtultâ
Relligione furens homini mactare bidentem

Viſa, velut regi tempeſtatumque potenti,
Thuſque illi poſitis tremebunda adoleverit aris?
At quoties hominem pecudes videre, metallo
Quod ſibi conflarat divinum pendere honorem,
Et precibus mutum æs onerare, Deumque vereri!
Proh mentis ſtupor! haud unâ regione per urbes
Ægyptus demens infames Cercopithecos,
Serpentum omne genus, paſtam & ſerpentibus Ibin
Sacravit templis, ut cæli numina, votis
Pacem orans ſupplex. Necdum furor ille quievit
Niliacæ plebis, niſi quâ vagus amnis oberrat
Pinguia culta rigans, plenâ crocodilon acerrâ
Et donis placaret, hianti & munera ferret.
  Quid mihi tu Ægyptum? quid monſtra Deûmque cohortem
Impuram memoras? exemplo quidve profano
Moliris? Nunquid ludo expugnabis aſelli
Patronus, pecudes ut qui turpiſſimus inter
Vivit, humum pandus ſpectans, ſatyriſque vel uno
Nomine ridendus, ſtupiduſque, excorſque, ſalignus
Cui fuſtis patulas ſemper circumſonet aures,
Plus ſapiat quàm Socratici gens tota ſenatus?
Sic habet. Hem, rides; cedo, qua ratione cachinnum
Sic tollis? Paſſim excipitur ſanniſque probriſque
Infelix pecus. At quali nos ille viciſſim
Ureret opprobrio, vocem ſi munere Divûm
Nactus, tot poſſet vitiorum prodere monſtra
Totque animi morbos queis gens humana laborat,

Sic coram proferre, ſilens ut ſcommate carpit?
Proh! quibus invadet rhonchis nos noſtraque! quanto
Pulmonem riſu quateret cum gentis alumnos
Unius, vario cultu diverſa furentes
Aſpiceret! Pullo tegit hunc ſaturata colore,
Illum tincta operit ferrugine veſtis Iberâ,
Hunc cineri affinis; chlamide alter fulget in aureâ
Pictus acu tunicam; puro hic inſignis acantho.
Tam multæ ſpecies. Quid non ſuggillat aſellus
Judicio tacitæ mentis, dum mula per urbem
Inſignis phaleris Medicum vehit omnibus Orci
Succinctum furiis, quas mors regit atra, cruentâ
Falce metens cives! proh! quam tumidum æſtuat hepar
Quadrupedi, cum Palladio ſtipante ſenatu,
Murice Phæbæo, trabeâque decorus, & omni
Lictorum numero faſces torquente ſuperbus
Incedit Rector, Latii cui, tota juventus
Plaudit Io ingeminans! age, dic quis ſenſus aſello
Cum Themidis legio, multus fulgentibus armis
Cui comes adſiſtit metuendus & enſe ſatelles
Ad laqueum ducit regali ſplendida pompâ,
Prætoris dubio damnatum examine civem!
Quos riſus illi deliria noſtra moverent!
Si ſemel ingreſſus clamoſi limina templi
Patriciæ gentis ſedem, Juriſque tribunal,
Aulaï in medio magnæ quâ verſat Erinnys
Jurgia, terrifico latè mugire boatu
Audiat attonitus rabularum examina, quæ non
Vincat

Vincat Avernalem frangens latratibus aulam
Cerberus! ah! noſtris, ah! quantum oppederet ille
Moribus, Æſopi ſi quam fuit arte diſertus
Tam nunc eſſe queat! priſci quam jure Timonis
Æmulus, inſanos homines ubicunque tuendo,
Clamaret, durum quaſſans caput, & ſua ſervans
Fata ſibi, nihil humanæ decora ardua genti
Invideo, meus eſt cordi mihi carduus, Herclè
Nobiſcum verum pecus eſt homo, nec ſapit ultrà.

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Inſeruit mendoſa tibi natura malorum,
Continuò ſannis te proſequor, ut ſine nervis
Et fundi penitus jejuni, legibus Urbem
Aggrederis rigidus ſcriptor frænare ſeveris.
Hoc quaſi ſorte datum munus clamoſior urges
Galterio cauſas orante, ſed & grege centum
Fœmineo vincente tubas furioſior, ira
Cum rixam ſemel accendit gliſcitque tumultus.
Verùm age quis morbus cerebri expugnator adegit
Te gerere Aonidum cætu obluctante Poetam?
Scilicet ætherea domitus præcordia flammâ,
Senſiſti toto Phœbi te numine plenum!
Num tibi ſe planam expediit Parnaſſia rupes!
Ne dubita, ſors eſt Helicona colentibus illa,
Si paulum à ſummo diſcedis, vergis ad imum,
Et cui Vecturum vel Flaccum æquare facultas
Defuerit, comes Abbati datus ille Puræo
Reptabit lutulentus humum. Sic vertitur urna.
Quod ſi vim morbi ratio domitare furentis
Nulla poteſt, & te ſcribendi ſic cacoetes
Inſanum ſtimulis agitat; quianam inclyta Regis
Facta ſtylo non aggrederis celebrare, laborum
Prælia laturus? Sapiens apponere lucro
Sic poteris Muſæ partus ludoſque canoræ;
Quos nunc vana canens operâ conſumis inani.
Ergo age Calliopen urge utiliore palæſtrâ
Ut certare velit, compendia nempe quot annis
Magna tibi videas accreſcere; nec tibi fundus

Uſquam erit hic mendax ; auri argentique talenta
Innumera arte novâ fumi dabit uncia inanis.

Sic me , ais illecebrâ deceptum & nomine Magni ,
Arduum Epos tentare jubes , verùm irrita ſudas.
O! Bone deficiunt vires , & ſpiritus impar
Deſtituit cupidum cantu Orphea vincere & ipſum
Mæonidem. Quis enim vates cantare tonantem
Undique Bellonam , ſæviſque ſonoribus arma
Expedientem , acres & agentem in bella maniplos ?
Carmine quis grandi certet formidine Belgam
Pingere deformi attonitum & ſuper alta fugacem
Mænia ? Quis belli compreſſos deinde furores ?
Quis longum ſcriptor paces extendat in ævum ?
Sic implere tubam fortis Racanus , Homero
Deficiente , poteſt juſto ſibi ſumere jure ,
Ut canat heroum laudes & fortia facta.
Aſt ego , Cotinuſque , pares componere verſus
Frigidulos , rabulæ , quos ſors facit atra Poetas ,
Carpendique furor (nos turba minuta diſertos
Quamlibet extollat) nihili ſumus , arcta ſilentî
Nos lex una decet. Quid enim ? dum Muſa Poema
Pangit adulatrix inſulſum , quid niſi probrum
Acceſſit ſibi , & heroem præpoſtera fœdis
Inceſtat maculis , deridendumque propinat ?
Exiguam obruerent hæc grandia cæpta camænam.
Sic mens obloquitur quam mollis inertia frangit ,
Quæque ſibi fictâ ſimulat dum fronte pudorem ,
Occultat nigris male turgida corda venenis.

Non fuerat ſatius tibi ſcilicet æthera pennâ
Remige ſulcando, ſub nube liquentibus alis
Aëreâ cadere, & vitam pro laude paciſci,
Quàm mordace ſtylo ſic pungere, dedecoriſque
Infeſtare notâ qui nunquam injurius in te
Mucronem expediit, ſanniſque calente libello
Te gerere infenſum, diſcrimine Bibliopolam
Et ditare tuo, lucri uſque cupidine captum?
Sed tumidum ſors ambitio dum ludit inanis
Immortale, inſtar Flacci, tibi quærere nomen
Scilicet affectas, obſcuro carmine tendens
Salmaſios acri curâ exercere futuros.
Perdite, non ſentis quot Scriptorum agmina, primùm
Aura quibus blandùm aſpirans eſt viſa favere
Exitio merſit fortuna maligna pudendo?
Ah! quoties populo exceptus plaudente libellus
Et candente notâ inſignis, vendentibus & thus
Et piper, eſt, paucis vel ab ortu menſibus (eheu!)
Addictus. Fors & te idem manet, Improbe, caſus.
Fors aliquàm multo tua tempore ſcripta vigebunt,
Perque manus verſata virûm perque ora voluta,
Pulvereo dein trita ſolo, deſpectaque fœdè
Involvent ſulphur, ſcombroſque, & ſuccina, triſte
Et Serræ & Novigermani ſubeuntia fatum;
Muribus aut arroſa, novi ſub margine Pontis,
Grande decus, foliis florebunt, ô Bone, ſciſſis.
Nempe tibi accreſcet magnum & memorabile nomen,
Cum tua delicias Calonum ſcripta videbis,

Ceſſantis turbæ mera ludicra, denique juſto
Contemptu (miſerum!) ex oculis ſemota, ſecunde
Allobrogis Muſæ ditare volumine cantus.
Sed tibi fac fati errantis clementior aura
Indulgere velit, fortunatuſque maligni
Illius ſtudii ſero tua ſcripta nepoti
Tranſmittas, certus venturis prodere ſæclis
Cotinum ſannis coopertum, & felle madentem
Dic age, quid prodeſt magni ſpes nominis illa,
Si tibi ſunt hodie certi tua carmina cauſa
Exitii? Salſæ quæ merces addita Muſæ.
Terriculum vulgi fatuis odia aſpera movit.
Quis malus incubuit dæmon tibi, carpere ſævus
Authorum fætus meritos licet? Heus tibi fiunt
Nauſea verſiculi; legere ecquis lege tyrannus
Imperitat male tornatos? Sordeſcere fas ſit
Sordidulo, tenebriſque ſuis ſe involvere tutò
Obſcurus qui ſit. Jonas en pulverulentus,
Deſpectuſque jacet. Formis præloque ſubactus
Jamdudum David, ſua luget lumine caſſus
Fata tamen. Moſes oras jam putridus eſca
Fittineis blattiſque. Tuâ quid, Perdite, refert?
Occubuiſſe ſemel ſatis eſt. Quo jure ſepultos
Perſequeris? Sine ſecuri poſt fata quieſcant.
Scriptorum durus manes cinereſque revellis,
Crimine quo meruere viri crudele ſubire
Opprobrium? diro non deſinis inſectari
Scommate Perrinum, Bardinum. Nulla Pradoni

Eſt venia. Arceſſis Quinaltum. Vellis acerbè
Burſaltum, Colletetum, dein & Titrevillam,
Oportuna nimis cenſuræ nomina, centum
Sparſa locis, pulchrè ſibi reſpondentia, & apta
Juncturam verſûs ſibi concinnare maligni.
Tædia te invadunt Baviorum ſcripta legentem.
Id quereris ſanus? Magno faſtidia Regi
Moverunt pariter, duros tulit Aula Poëtas,
Urbs tulit, immunes cuncti evaſere, nec uſquam
Edicto vetitum regali condere rhytmos,
Nec mage abhinc viſa eſt legio decreſcere vatum.
Quidlibet audendi conceſſa licentia. Paſſim
Nata, Poëtarum caput altum examina tollunt.
Nulli non licet innocuis illudere chartis.
Legibus illæſis, & ſalvo fabula more,
Ad decimum herois deducere fata volumen
Eſt potis. Hinc videas huc adventare quotannis
Authores turbâ innumeros, nec porticus ulla
Templorum, arieſque vacat programmate libri
Indice. Dic quianam tu treſſis homuncio contra
Lividus oggannis? nimirum competit uni
Muſarum Imperium conſtringere legibus arctis!
Sed tu ſic morſu carpens aliena tenaci,
Quo tua quo cenſes Æquum quærentibus eſſe
In pretio? Nulli parcis livoris amaro
Felle tumens: & tu noſtin'quàm fabula fias!
Cenſorem fugite, occlamant, immanibus actum
Gloriolæ ſtimulis, ſemel ut furor improbus arſit,

Nil fas, nil æquum curat, ſibi cuncta licere
Autumat. Hic nihili viginti pendit amicos,
Ut ludit probris, cerebro fervoribus icto.
Quin, Capellanæ dium ſine more Puellæ
Carpit Epos, linguæ indomitus regere omnia tendit
Arbitrio. Quæ Cauſidici facundia, ſcurræ
Demulſet ſenſus? Orator quis ſacer unquam,
Etſi flore nitens, & divino ebrius hauſtu
Non reperit toto proflantem pectore ſomnum?
Sed ferulæ ille ferox intentans pondus alumnis
Aonidum, merus eſt prædo coopertus Horatî
Exuviis. Prior, oh! Juvenalis, ſcomma Latinè
Protulit hoc laxè Cotino orante ſederi.
Ante illum rythmos ſcriptor ſuggillat uterque.
Defenſare ſcelus magnis authoribus ambit
Hos parcè attigimus. Sed fas modo dicere, rebus
Humanis multò conſultius eſſe futurum,
Si gens illa procax cuncta emendare furentûm,
Diſceret oceani præceps data fluctibus, alto
Merſa mari monſtris numeros dictare marinis.
Sic tibi res bellè cedunt. Quin, territa vulgi
Pectora, jam barathro jactant periiſſe profundo
Immerſum. Fruſtra irriſor tua triſtia ſalſus
Fata gemens legem edicti mollire patronus
Aſſimulat, trepidum lectorem flectere nulla
Ars potis, ut ſudant tacito præcordia, prodique
Hîc ſua deprehendit mutato nomine tantum
Crimina. Sic ſemper lites atque aſpra movere

Jurgia præcipitas ſævo mucrone cruentus.
Ecquis finis erit rixandi! Quò furor ille
Turbidus evadet? Quando vatum illa quieſcet
Seditio inſanis quatiens rumoribus aures?
Dic, ſodes, quonam potes hîc te jure tueri
O Anime? anguſto concluſus limite fruſtra
Ire retro tentas: domitus ratione, teneris
Undique: fare, joco non eſt locus amplius ulli.
Quorſum, rurſus ais, tantus furor ille? querelis
Opprimis inſontem. Quodnam eſt ſcelus illud acerbè
Quod ſic exagitas? Segnem luſiſſe Poëtam
Et ſemel, & curſim, res ſcilicet & cruce digna
Et culeo? Scriptor nullo ſale tinctus inerſque
Edit opus, ratio quo tota labaſcere paſſim
Cernitur indiciis certum prodentibus, & ceu
Rè bene perfectâ ſibi plaudit ſtrenuus author.
Hoc patiar lentus? Clamore laceſſere nunquid
Crimen erit? Proh ridiculæ deliria Muſæ!
Quis ferat inſulſum ſcriptorem? pellite furcâ
Qui pulchram authorum formam ſic reddit ineptè?
Quodnam operæ pretium ſic frivola prodere luci?
Grandibus & verè nihilum comprehendere verbis?
Num ſtylus hic mordax & teter habebitur, imò
Num ſani ingenuum candorem non ſapit æqui?
Sic eſt. Cui certum eſt maledictis acribus hoſtem
Urere, circuitu verborum blandior ille
Rem gerere attentat. Nimirum quæritur ædem
Quâ motus ratione ſacram conſtruxit Alidor.

Quid mihi Alidorem memoras? mihi fœdere ſanctæ eſt
Junctus amicitiæ pridem, cum vernula primum,
Scriba dehinc fiſco Præfecti emergere cæpit.
Ille piis totus ſtudiis immerſus olympum
Suſpirat, felix operum vult dicier ipſi
Reſtituiſſe Deo, plebi quæcunque miſellæ
Eripuit, prædæque reum feciſſe Tonantem.

Hic fucus mirè ſolers, ars callida blando
More verecundum capulo tenus abdere ferrum.
Candor adulari fugit iſtam neſcius artem
Perfidiæ agnatam. Sic duros carpere verſus
Aut reptante ſtylo ignavos, vel inurere labem
Dedecoris meritam Muſæ quæ ſe rationi
Perpetuo gerat adverſam, ridere, facetus.
Si male quis ſtolido nobis poppyſmate tendat
Palpari, cuinam non eſt conceſſa poteſtas!
Quando non licuit fatuo modò ſtemmate clarus
Fulgeat aut cenſu, pravo perverſa tueri
Judicio? culpæ hoc Regum non imputat aula.
Hîc impune poteſt te quiſque, Theophile, culto
Racanidæ, vel magnanimo præferre Malherbo,
Virgiliique aurum poſtponere Taſſi orichalco.

Aſſe poteſt ſibi quindeno jus quærere Davus
Carpendi Hunnorum Regem, totamque ciendi
In bella Orcheſtram. Quin, ſi minus Attila cordi eſt,
Fas erit huic Gothicam Cornelî dicere Muſam.

Authoris famulus nemo, vel ſcriba, facultas
Cui non ſit, trutinâ naſcentes pendere fœtus.

Exiit ut primùm prælo ſudante Poëta
In lucem, emptoris meritâ fit ſorte repente
Mancipium, imperio vulgi ſe ſubdit aheno.
Sola vices implere viri, præſtare Poëtam
Una queunt debentque opera. Hoc lex optima ſanxit.
Supplice Proloquio nequicquam & poplite flexo
Lectorem obtundens, eatus eblanditur amorem.
Huic nova gignit adhuc faſtidia, judicis iram
Nil flectit, voces nullas tractabilis audit
Arbiter indomitus fati, nec parcere ſuetus.
Ohe! ſolus ego non obloquar, illa tot inter
Ridicula? occurrunt paſſim portenta cachinnos
Apta movere, nefas naſo ſuſpendere adunco
Has hominum & rerum ſpecies? Quod carmina tantum
Commiſere ſcelus? Quæ fraus invecta, furentum
Dira Poëtarum ut legio crudelibus in me
Sic odiis fremeret, conjuratiſque maniplis
Inſontem opprimeret? Per me illis gloria magni
Nominis acceſſit, nedum diſpendia famæ
Ulla viri tulerint. Horum per me erutus umbris
Eſt labor, & vulgi mixtus feliciter auris.
Quis ſine me celſæ ſublimem è ſede Cathedræ
Expediiſſe palam Divini oracula verbi
Cotinum noſcet? Fatuus ſatirâ indice clarus
Evadit, viget hæc illuſtrans umbra tabellam.
Sic ſannis ludens, quæ ſit ſententia, veri
Conſcius expreſſi, diverſum nec ſapere audet

Qui me cenſurâ ſanum inſectatur amarâ,

Excipit hîc alius, reus eſt ſic nomine magnos
Appellare viros. Non parcit ſcilicet ipſi
Vel Capellano. Melius nihil ah tamen illo
Terra tulit! Capellanum rigidi arbiter æqui
Balſacius paſſim commendat. Carmine friget
Ignavus ſcriptor, cenſet ſic calculus omnis.
Perditus inſanit rhythmos extundere. Quidni
Conſiliis ſemel auſcultans, ſermone pedeſtri
Exercet genium ſic laudis amore calentem?
Vox iſtæc famæ eſt. Nec ſum diverſa locutus.
Vellere ſcripta catus num vitæ impingere dentem
Inſtitui, moreſque ſtylo mordace decoros
Urere? Muſa probum ſed enim æquâ lance Poëtamque
Explorans pendit. Sit candidus, officiique
Plenus, amans veri, lenis, fidei integer, omnes
Virtutis pulchræ numeros implere beatus,
Pectoris & nivei, ſit denique moribus aureis.
Hæc contra mutire nefas mihi. Diſſona nunquam
Muſa fuit veris; ſileo nec quid queror ultra.
At Capellanum qui Recti exemplar habendum
Credat, & ingeniis dare normam illuſtribus aptum,
Largus & exundans ceu fons exuberet illi
Aonii laticis, fictâ mihi laude calentem
Ille movet genium, ſtimulis ſimul acribus urget
Scribere quod mihi mens ſincero parturit æſtu,
Nec fero ſcriptorum legem normamque vocari.
Sin minus hoc liceat chartis committere, foſſâ

Deponam ſcrobe, tonſoris non ſegniter artem
Illius referens, quo garrula arundo magiſtro
Auriculis Midam inſignem occlamavit aſelli,
Scilicet obriguit mens illi carmine noſtro!
Venaque lethiferis eſt ſaxea facta venenis!

Ut Themidis ſemel excepit venale volumen
Porticus, & proſtat Billani pumice terſum,
Emptorem invitans pilâ ſublime ſecundâ,
Cuique ſuus meriti eſt judex & teſtis ocellus.
Nunquid ei capitis cenſoria tædia noxam
Incutient cladem que ferent? eia adſpice, rerum
Ille potens quantos, juratus perdere Ciddum
Richelius movit doctorum corda tumultu.
Irrita purpureo ceſſerunt cæpta Miniſtro.
Chimenen viden' ut populoſa Lutetia eâdem
Quâ Rodericus face deperit, aura Poëtam
Proſpera ubique fovet, civeſque impune rebelles
Attollunt criſtas. Demum ſervire coacta,
Judicium concors nequicquam Academia jactat.
At Capellanus ſi quid parat edere noſter,
Illi Linerium ſe plebs gerit ilicet omnis.
Mille virum fruſtra ſcriptores thure bearunt,
Immodici colere. Errorem liber ille repente
Arguit inſanum. Mihi litem intendere tandem
Deſinat, urbs illum tota ut facit aulaque ludos.
Irato verſus incuſet Apolline fuſos,
Verbaque Calliopen Alemanno more ſonantem
Francica. Sed tempus jam parcere Capellano.

At ſatiros aiunt, ſors exitiabilis urget
Non raro. Labor hic nonnullis ſæpe voluptas
Plures offendit. Series immenſa malorum
Hinc ſequitur. Sæpe & noſtro ſtylus ille cruentus
Regnerio incuſſitque metum, pennamque repreſſit.
Hæc ſtudia illecebris te decipientia vanis
Abjice, Apollineas exerce mitius artes.
Auſterâ gravitate potens ſine fervidus orbem
Componat Folietus, & acri percita zelo
Corda gerat. Quænam ergo mihi argumenta canendi
Arripiam? Magni nimirùm Muſa Malherbi
Æmula, bellatrix Iſtrum terrere ſuperbum
Ibit arundineâ ſua dum tegit otia ſylvâ.
Audax & miſeræ ſervilia vincla Sioni
Excutere, & Nili indomitam ſibi ſubdere pubem,
Frangere dein Lunæ pallentis cornua, demum
Jordanem attonitum velox tranſmittere, palmas
Inter Idumæas victricia figere ſigna?
An melius fuerit magnâ ſi paſtor in urbe
Sylveſtrem calamum gregibus circumdatus inflans,
Aut lare Apollineo clauſus, ſub tegmine fagi
Lentus agens curas nugis mulcere canoris
Argutus, cantem quibus antris aſſonet Echo
Pulſa cavis? fictâ vel demens Iride plenus,
Suſpirem falſo domitus ſimulator amore,
Prodigus Auroræ & Solis dare nomina Nymphæ,
Et ſemper pingui turgens abdomine, ludo
Nil minus adſcitâ macie confectus obire?

Iſtæc fæminei ludibria inania luxûs,
Turba procorum agitet, quos mollis inertia frangit.
Dogmata Socraticæ frugis nova promere felix
Concinnat mores ſatira addens utile dulci,
Et verſus normâ rationis judice cuſos
Dum fundit, purgat mentes erroribus ægras.
Sola ope fulta ſuâ nimirum ſe gerit Orbi
Frugiferam, domitare audax & ſubdere Vero
Indociles animos. Truculenta ſuperbia palles
Dum movet hæc urnam, pavidâ formidine turpes
Introrſum trepidant hac judice; nil ſua magnos
Purpura Dynaſtas tutatur: vindice dextrâ
Detrahit his larvas, oculis vitia acribus urens,
Sæpe ſuum oppreſſæ rationi reddidit ultrix
Et decus & nomen dum ſcommate ludit acuto.
Sic ope Læliadæ & munimine tutus amici,
Acer dum totam ſecuit Lucilius urbem,
Auſoniæ gentis Cotinos cenſor inuſſit
Labe ſuâ meritos. Totus ſic & ſale tinctus
Romanos atro Flaccus carbone notavit
Pelterios. Facili illa viam mihi tramite monſtrans
Adſtitit à puero, & numerantem vix tria luſtra,
Curvo habilem finxit dignoſcere ſedula Rectum.
Frigida ah hinc odi ſemper cane pejus & angue
Scripta catus. Dux illa ſacri ad faſtigia montis
Compoſuit greſſum & veſtigia rexit euntis.
Huic uni ſtudio ſe Muſa addicere vovit.

Hâc tamen, officii ſi lex jubet, ecce retracta

Propoſitum, hoſtiles cupiens placare tumultus,
Et quod deliqui ſanâ emendare camænâ,
Eia vicem mutans, quando eſt opus, atque ſtyli vim
Conatus premere immodicam, contraria verbis
Verba ſero. Merus eſt Quinaltus, credite, jam nunc
Virgilius. Solis Burſaldus lampade fulget
Hac ætate prior. Perrotum Patruademque
Pelterii longè ſuperat facundia. Gentes
Eloquii illecebris & dio robore totas
Cotinus trahere aſſiduus, bullantibus alta
Pulpita conſcendit populis, fluctuſque tumentes
Frangere non modus. Ingeniis illuſtribus ohe
Phœnicem exſuperans, palmam Saufalius aufert.
Perrinus.... Bellè, ſic ludere perge, modeſtum
Aſſimulans, Anime infelix. Non eſt tibi promptum
Cernere quo demum furiarum percitus æſtro,
Scriptorum populus circumſonet? Æſtuat illis
Imo in corde pudor mixtoque inſania luctu.
Hîc jocus eſt, aiunt, mera ſunt ludibria ſalſus
Quæ crepat. Actutum videas convicia mille
Agglomerare probris ferventibus impia Muſæ
Innocuæ, pulſata libris immanibus aura
Jam calet. Ut ſceleris magnum inſtar habebitur illis
Verſiculus ſale conditus, ſacra nomine Magni
Pagina mille locis nil proderit, eſt reus, eheu!
Deſpecti Regis, Cotinum qui bene ſanus
Deſpicit. Huic nihili, Cotino judice, lex eſt
Et Rex ipſe. Dei ſed & ipſum eſt fabula numen.

Sed

Sed quid, ais, nobis Cotini lingua nocere
Illa procax poterit clamoribus ilia rumpens?
Num noſtrum violare decus? num munera Regum
Quæ non affecto, potis intercludere noſtris
Verſiculis quos forte probat, licet arguat altè
Vociferans? Sua fraus illum nihil atra juvabit.
Nuſquam ego captator nummi, pretioque doloſus
Inſidians, animum inducam te, Maxime Regum,
Delicias populi totus quem perſonat orbis
Mæoniis celebrare modis, & pectine dextro.
Te laudare, mihi mea laus eſt maxima merces.
Aonio quoties mihi Muſa furore caleſcit,
Ille ego ſic calamo vitia inſectarier audax,
Qui fatuos titulis & nomine vana tumentes
Dedecore adſperſi meritos, idem integer idem
Ipſe palam faciam capitis reverentia cari
Quanta imos teneat ſenſus, quam infixa medullis
Virtutum ſpecies, laudis nihil indigo noſtræ
Hæreat, & ſancto præcordia pulſet amore.
Credo equidem hæc ſanus mihi differis, haud minus ohe
Omnia tuta cave. Viden' ut Parnaſſia pubes
Te clamore premit. Gnavos Heliconis alumnos
Nil vereor! Pulchrè. Num te latet improbus irã
Quid Scriptor poſſit tibi noxæ infligere. Quid tu?
Improbe, crede; tui imperitat tibi cura ſilere.

SATIRA X.

CONJUGIUM.

TAndem, Alcippe, vago finem tibi ponere amori
Decretum eſt, dominæ paſſurus ſceptra puellæ
Vincla tibi ſtringis nummis præſentibus, arcam
Jam ſocer exhauſit; lex eſt utrinque recepta
Et data, prolixo tibi quam verboſior affert
Scriba ſtylo expreſſam, recta omnia: ſponte maritus
Irruis in laqueos, & libertate beatus
Amiſſâ, nova conſilio tibi gaudia fingis.
Sic bene habet. Sanè multis hymenæus abundat
Triſtibus, aſt idem fert ſecum dulcia multa.
Lætitiæ ſedenim uberior quis pectora ſenſus
Pertentare poteſt? quæ blandior ulla voluptas,
Quàm cum te Veneris mille artibus optima conjux
Invadet palpum obtrudens & blæſula vocem
Compoſitò effingens, uſque accinet, ô bone! dulcis
O anime! Interea arguto te murmure circum
Turba minuta ſtrepens colludit & undique Patrem
Ingeminat. Parvi tibi creſcunt nempe Quirites,
Sedula quos fingit Genitrix, dum tu Pater audis.

Felix cui præſto eſt, atque indefeſſa fideli
Aſſidet officio noctes vigilare dieſque,
Prompta mali ſi quid te cominus eminus afflat;
Ut gemit, ut ſeſe torquet! viden', ecce dolore
Diriguit, palletque genas diſcrimine nullo?
Talibus illecebris domitum te Nympha tenebit
Fraude potens, nec enim tete, dulciſſime, credo
Zelotypus furiabit amor, nec tu tibi tortor
Supplicium fingens, ubi ſponſam incendere amaros
Aſpicies luctus, rabidâ ſtimulatus erinni,
Suſpicione mala torquebere, credulus illam
Quærere clam ficto ſolatia vera dolori,
Furtivæque alibi veneris decerpere fructus.
Sed quid ego vanus monitor tibi inania jacto?
Jam tibi bile jecur fervet, jam dicta refellens,
Siccine, ais, toto Juvenalem pectore ſpirans,
Conjugiique odio plenus, ſine more modoque
Turgidus objectas. Cum ſeſe Rea Sacerdos
Marte gravem ferret, vice jam plus ſimplice, fædos
Inter mortales maculam irrepſiſſe pudori.
Nam vitia omne genus turpi propagine creta
Exeruiſſe caput, cum ferrea currere ſæcla
Cœperunt. Tunc impietas oppedere cœlo
Viſa; agere hinc prædas ſcelerata libido nocendi;
Virtutem rabido calcare ſuperbia faſtu.
Ætas ſed primos non vidit tertia mœchos,
Conjugii nec ſancta fides huc uſque cubilis
Intacti puro potuit pertingere flore.

Non ſemel indomito tuus hæc tonat ore magiſter.
Aſt ego (nec veterum hîc figmenta incondita vatum
Expectes) jam nunc tibi verus & integer author
Edico ; Quamvis tunc cum conſtaret Adami
Unâ progenie mundus, longè ante Noemus
Vitiſator ſua quam terris nova munera ferret,
Virtuti aſſiduis ſcelus inſultaret iniquum
Opprobriis paſſim, paucos & candida morum
Integritas ſævo tutos præſtaret ab hoſte :
Non tamen omnino terris abiiſſe pudorem ;
Sed cum ſe impuro ſub fornice plurima Laïs
Aut Phryne pretio ſubmitteret, integra multas
Penelopes ſponſis ſervaſſe cubilia, vanos
Et luſiſſe procos hodie quas plurima conjux
Æmula laude refert ſanctis & honoribus æquat.
Sic eſt, & niſi me numerando decipit error
Tres hoc exemplo mihi magna Lutetia monſtrat.
Quarta, datur tibi quæ nuptum numerabitur, ultro
Sic fore crediderim. Sed ſi pro conjuge Pallas
Ipſa tibi detur, vel, ſi lubet, ipſa penates
Sophroſyne ſubeat vinclo ſocianda jugali ;
Crede mihi peregrè rediens memor eſto monere
Per famulos Nympham ſalvum rediiſſe maritum.
Non unus lachrymis ſponſæ luctuque decoro
Diſcedens maduit conjux cui turpia fâtum
Dedecora objecit reduci quia ſe fore amicæ
Crediderat gratum, rediens ſi nuncius ipſe
Irrumpens ſubitò afflictæ improviſus adeſſet.

Noſti ea. Nempe mihi non eſt incognita triſtis
Fabula quæ fœdo mentes & pectora caſu
Implevit. Valeat ſed nunc jocundus & atrox
Ille viri caſus quem tot luſere Poëtæ.
Nunc age quando tibi ſatira ſub judice ſiſtor
Conjugii reus incæpti, & contendere jure
Cominus ambiguo cenſoria virgula cogit,
Nunc quam me firmis tuear rationibus, audi.

Qui duce te rudibus rexi me cereus annis
Et monitis animum implevi, quæ plurima fidus
Ipſe dabas cuſtos, novi quam dente maligno
Conjugium rodat vulgus, quam fabula fiat
Qui lecti comitem adſciſcit ſibi, & ora capiſtro
Porrigit; huc omnes quidquid petulantia linguæ
Suggerit immiti certant convertere probro.
Hoc cives ſatirâ, hoc mordaci Epigrammate paſſim
Arripiunt: ſeges hæc ſe maxima vatibus offert
Nil ſuper his quidquam Fontanus & optimus arte
Molerius, nil Villo, nihil Rabelæſius, audax
Et Reges ipſos atro carbone notare,
Denique nil Muſâ luſit joculare Marotus
Quod non mente memor teneam. Monumenta tot illa
Fœmineas labes feris prodentia ſæclis
Evolvi ſtudio arrectus, cupiduſque notare
Dedecus, atque malas ſimul execrarier artes.
Omnia ſed poſtquam mecum ſapiente probavi
Conſilio, cautus recti explorator & æqui;
Sic ratio ſuaſit. Toto nihilominus orbe

Conjugium florere, novis & honoribus auctum
Exertare caput, quamvis hymenæus ubique
Scommate certatim proſciſſus, fabula, ludus
Et triviis paſſim pateat ſceniſque jocorum
Materies, quam ſcurra vagus, quam circulus omnis
Arripiat; Tamen ad tædas concurritur; hoc ſe
Condere feſtinat portu vel qui ſale totus
Et petulante joco fervens, ſcurrilibus uſque
Conjugium carpſit commentis. Ecce maritus,
Ille procax etiam irriſor, modo factus, amaris
Ipſe jocis argumentum cantabitur, urbis
Compita per cætuſque, & conjuge nobilis aurea
Quod ſibi cunque volet laſciva licere, fovebit
Commodus indulgens. Naſo ſuſpendere conjux
Interea facilem, & læti ridere ſodales.
Denique conjugii ſic ſors tibi vertitur omnis
Ut comitem thalami prudens adſciſcere curas.
Ecce aliud quoque momentum quod me acrius urget.
Jam cani irrumpunt, premit importuna ſenectus,
Jamque facultates avidus ſpe devorat hæres
Plurimus; Exequias vivo meditatur, & ornat
Funus turba rapax; Quidquid me vivere cernunt,
Hoc ſibi ſupplicio damnoque apponere ſueti.
O lætum feſtumque diem, cum exiſſe ſupremo
Vitam ſingultu certus demum afferet illis
Nuncius. Arte graves oculi ficto imbre madentes
Stillabunt coram pompæ pars magna futuri.
Plurimus accedet Patrui qui funere lætos

Soletur blandus ſimulator, triſtia vultu
Compoſito fingens, tacito dum pectore plaudens
His pæana canit pulchrum & de morte triumphum.
Dulce erit, his, ſibi dum corvi aſſentantur hiantes
Elicere actutùm ſinceros corde dolores.
His ſuper accedit (fors hoc mihi credulus error,
Fors ratio obtrudit menti) quod tædia ſolum
Arrodunt, ſenſim curis & lentus amaris
Conficior lare ſecreto dum veſpere verſor.
Anxius, & triſtes caſus horrendaque fata
Multorum tacita gelidus formidine volvo.
Perfida ſervorum circum ſtat turba, voraci
Ingluvie hinc atque hinc dominum deglubere velox.
Nec lectum ſubeo quin ſeſe triſtis imago
Offerat, & fatum mihi lamentabile fœdâ
Portendat ſpecie. Tragico res digna cothurno
Scilicet obverſans oculis, mihi pingere nocte
(Horrendum!) ſolet, hac ſenior quam multus in urbe
Narretur dives ferro cecidiſſe quotannis.
Grande ſupercilium ſapientia mitior urget
Ponere. Mortales cœli ſpirabile lumen
Hauſimus, ut placidos habeat reſpublica cives
Sorte pari cunctos. Hac conditione beata
Vita fluit, ſocii ſi turbæ accedimus arcto
Fœdere, nec ſapiens quiſquam ſibi naſcitur uni.
Eſto, tibi ſolus tacito lare vivis, & horas
Lentus inerſque trahis nullo conſorte, ferinos

Crede mihi longum tibi non gratabere mores.
Quin & ſi coſtâ (fas dicere) ditior unâ
Solus agens, vel luce brevi vixiſſet avorum
Primus (opum quamvis variarum fertilis hortus
Deliciis ſaturum pleno torrente bearet)
Æternum triſti compellans voce Parentem
Oraſſet ſolem breviori claudere metâ.
Quid prodeſt vano tot inania dogmata verſu
Fundentem humanæ proſcribere gaudia gentis
Oſorem thalami ſanctaſque extinguere tædas
Quæ vivunt authore Deo, vitæque levamen
Dulce ferunt aptæ triſtes abſtergere curas ?
Jam ſine ſe propriis moderetur legibus orbis.
Noſti queis titulis arrideat arcta jugalis
Lex thalami. Cervice jugum mihi ferre neceſſe eſt
Ut vivam liber. Sedenim ſine more vagatur
Luxuriatque ſui compos mortalis, & errat
Turbidus incerto curſu, niſi ſiſtere cures
Præcipitem fræno, & doceas parere lupatis.
Ergo ſibi nunquam niſi libertate parare
Exitium quando conſtat, jam vincula ſtringe
Cominus, hac unâ liber componitur arte.
Prorſus ita eſt. Sic te Janſeni vivida fortem
Diſcipulum doctrina probat, nec doctius unquam
Perſonuit ſacram Rocho Mareſius ædem
Voce animiſque potens. Sed jam tibi parcere tempus ;
Et ſatiræ ludos normâ cohibere ſeverâ.
Nunc age, rem ſola ratione expendere certum eſt.
Hinc

Hinc mordace joco pugnax cenſura faceſſat.
Sanè conjugio nunc addita plurima per te
Gratia, multiplici tibi cauſa orata lepore,
Orantem nunc me juvet exaudire viciſſim.

Illa tibi Superûm quæ munere ducitur uxor
Pulchræ dote potens virtutis, quam rudis annis
In teneris hauſit Portus Regalis alumna,
Officio rectos moderatur judice mores.
(Credo equidem) ſed quis certus tibi ſpondeat auſpex
Cum tua multiplici Reginam ſplendida luxu
Accipiet domus, & cuncti parere parati,
Illecebras circum genus omne & gaudia fingent,
Invictam fore blanditiis, & tramite eodem
Virtutis certam veſtigia figere, nulla
Lubrica paſſuram erroris diſpendia Nympham.
Mox laſciva ſonos molles moduloſque procaces
Quos tragico fundit Symphonia nixa cothurno
Aure avidâ excipiens, pravas animo ebibet artes;
Et duce te magnos cœtus ingreſſa, veneno
Te duce paulatim aſſueſcet, quod blanda miniſtrat
Corruptrix animi Siren. Dic, ô bone! recti
Semina tot puro mentis concredita fundo,
Quo fructu cernes turgeſcere, ſanctula cum tot
Heroas compto vitiorum examine cinctos
Dulciculos Reginaldos, œſtroque feroces
Rolandos (quibus eſt laus unica pulchra Diones
Caſtra ſequi, forteſque animas impendere blandæ
Arbitrio Dominæ, & Veneri virtute litare

Calcatâ) impuras totâ jactare favillas
Scena habiles cernet, ſcalpenteſque intima verſu
Viſcera! conſtabit quo robore candida Nymphæ
Simplicitas, cum ſe Idaliæ ſpectacula pompæ
Certatim objicient, nihil & jam voce ſonabunt
Laſcivi authoris ludi niſi nobile Matris
Servitium Paphiæ, ſanctoſque cupidinis ignes
Omnia queis deceat totum flagrare per orbem:
Quando mortales hac finxit ſorte Prometheus
Ut ſenſus omnes voveant & pectora Amori;
Qualia multa crepant molles quæ Lullius arte
Faſcinat, illecebras addens, tingitque veneno.
Hinc reduci quales fervebunt pectore motus!
Fors erit Armidæ ut docilem ſe fingere certet
Diſcipulam, Angelicæque habilis certare palæſtrâ
Plena ſono dulci, pravo præbente ſceleſtas
Vires exemplo, quod ſenſibus ebria totis
Concepit penitus, vanâ haud contenta figurâ,
Rem veram pulchro clam cum Medore fidelis
Exprimat, & notas modo vincat adultera mœchas.
Fac tamen hinc referat ſalvum incorrupta pudorem,
Et mentem ſceleris puram ſervare tot inter
Artifices ſcelerum poſſit. Proh quanta pudicam
Tempeſtas quatiet! Quot monſtra latrantia circùm
Invadent! Tremere horrifico jam murmure pontum
Aſpicio, barathrumque aperit non una Charybdis.
Quâ reget arte levem tanto in diſcrimine cymbam!
Quis ſcopulos inter ſervabit mille latentes

Numine præſenti Deus, eripietque procellæ?
Ecce proci blandis (quæ plurima turba) ſuſurris
Hinc atque hinc Nympham pulſant, immurmurat aura
Dulcibus illecebris; votis ardentibus urgent,
Et quatiunt facilem ſirenum fraude potentes.
Hei mihi! cum ſeſe vitamque Deamque vocari
Audiet, & Juvenum gemet expugnata furore;
Num durare animus? num ſpernere vota prementum?
Præcipiti num ſtare loco, mentemque ruentem
Mollitie, ſtudiis poterit frænare ſeveris!
Quæ non deſiperet tali ſapientia caſu?
Illa quidem (quales vaniſſima Clelia nugas
Narrat) amicorum ſpecioſo nomine turbam
Admittet, levibus conſtabit fabula ludis
Tum primùm: Sed mox effrons ubi clauſtra pudoris
Fregerit, indomitoque mari committere puppim
Exiguam fidens, Boreæ contempſerit iras;
Nil latrans vaſto Scylla illam terreat antro
Audacem magna ſe nobilitare ruinâ.
Nec tibi vel Veneris fingas vel Dæmonis atri
Nequitiam tali paſſuram cardine rerum
Stare, procis circum pravam incantantibus aurem.
Non jam ludus erit, peccando audacia creſcet.
Nempe ſemel thalami quæ fregit adultera ſanctam
Pollutâ virtute fidem, mora nulla, voluptas
Indomitam trahit, & triſti nil mæſta procellâ,
Fertur in abruptum ſpectatque interrita cladem.
Conjugii alma fides medio velut inſula ponto eſt

Prærupta, horrendæ quam cingunt undique rupes;
Aſpera & alta ſitu, quo nulla redire poteſtas
Cum ſemel extuleris greſſum. Fors aurea, conjux
Ante ſuum quam bis Titan confecerit orbem
Toſta face inſanâ pueri aut flagrabit amore
Aut equitem lecto inducet turpi ebria flammâ.
Moxque furens coram ſtimulante libidine tetrâ,
Quæret condictâ mœchos, famæ immemor, horâ;
Famoſaſque frequens Cornutæ pellicifædes
Inviſens, magnâ lenonum cincta catervâ;
Turpem exercebit caleato conjuge ludum:
Proſtantemque olido ſub fornice Meſſalinam
Audax ſectari, ſibi plaudet adultera centum
Exhauſtos opibus cives, totidemque peremptos.
Interea pulchrè ſors ô! tibi, Amice, favebit,
Si ſic dedecore infamis cantata popello
Per plateas facilem Prætori præbeat anſam
Conjugis è tectis funeſtam extrudere peſtem.

Sed quò te vertes ſi nullâ ſaucia flammâ
Ventoſos ſtrepitus, clamoſa & ludicra tantum
Affectans, curam tibi læta faceſſere inanem,
Solo metiri certet ſua gaudia fumo,
Innocuo caſtos celebrans matrona penates
Ludorum ſtrepitu, cætum ſtudioſa fovere.
Scilicet hæc vitii ſpecies tibi, ſponſe, placebit,
Pacatuſque lares turbâ fervere videbis
Immodicâ, mixtam & colludere civibus aulam
Quos tua nimirum conjux præclara frequentes

Agglomerat, cunctis ſine fraude accommoda fortis!
Nullum prætereat cui non læto ore renidens
Blanditias fingat, nutuque oculoque loquaci
Dulce aſſentetur, te tetrica ſummovet unum.
Sic tibi quæ ſoli nullo micat æqua ſereno
Sponſa, jocos aliis agitare arguta ſaleſque
Artificis linguæ illecebris non deſinit, ultro
Ingenii laudem affectans; Feſtiva, faceta,
Salſa, urbana, dicax, concinna, venuſtula, riſus
Captat, amatores vultuque & voce laceſſens.
Omnibus his facilis mores componit amænos,
Ædificatque caput triplici compage ſuperbum,
Auro tota rigens, oſtroque decora capillos
Doctâ fingit acu, ſpeculo & ſe judice pingens
Pſimmythio buccis pigmenta rubentibus addit
Prodiga ceruſſæ, fallacibus humida fucis.
Sed vice & ipſe tua procus ambis prendere nympham
Difficilem vinci (quando uni dura marito
Pingitur) arte tibi multâ eſt opus, ô! bone conjux.
Vis quandoque tibi tua ſe Lucretia blandam
Commodet; expecta dum multâ nocte ſoporem
Jam meditans, mundum componat, & ægra procorum
Diſceſſu, crines triſti redimita calyptrâ
Sola relicta ſibi, faciem quam ſedula fuci
Pinxerat illecebris, menſâ deponat, & artes
Invita abjiciens quas mendax cunque Dione
Suaſerat, ingenuâ pateat tibi reddita formâ.
Tunc ubi totque roſas frontis, tot candida delens

Lilia linteolo abſterget non ſimplice, formaque
Inficiet, ſibi quam vano medicata colore
Fecerat arbitrio: tunc eblanditus amorem
Cautus adi Nympham,& nummis tua gaudia largus
Mercari propera. Sed (te id ſuper omnia ſanus
Conſilii moneo) fuge cenſor carpere ſumptus
Immodicos, quibus ipſa ſibique viroque ruinam
Accelerat. Sed fallor ego. Simulator amaros
Finge animo luctus & ſponſam vocibus urge
Increpitans, teque immenſo querere ære gravatum
Cujus mercedes ſibi reddi plurimus inſtet
Creditor. Heu quantos furiarum, ſponſe, tumultus
Aſpicies fervere domo! Quis enim modus? Ecce
Tartareâ fœtum rabie jecur ira nefandis
Incendit ſtimulis, contorquet brachia bile
Turgida, ſe plantâ arrectat tumidam: hei mihi! nullo
Fine crepat; merces virtuti hæc pulchra refertur,
Hoc meruit vitæ flos integer, impia ſponſæ
Inſonti probra conciliat triſteſque procellas
Intemeratus honos: durus negat omnia Conjux
Æqua queri immodicus, litemque intendit iniquam
Matronæ quæ ſe frugi ſanctamque probavit
Hactenus. Ecquæ unquam ſeſe veſtire minoris
Urbe queat totâ. Sedenim vix mille quotannis
Fœmineo mundo aureolos impendere ſuevit.
Quid quereris tua ſic prudens cum dicta refutet?
Jam veniam poſcis, jam jam ulnas tendis inermes
Dediſciſque animum, tantummodo parcere Nympha

Hoc pretio velit, ut vaſto marſupia folle
Impleat exhauſtis (prudens quibus ipſe futuri
Parcebas) nummis, & tota æraria coram
Diripiat ſævos auro poſitura furores.
Scilicet hanc nugæ bilem tibi, amice, movebunt?
Dic age, quid faceres, ludi exitiabilis ardor
Si furiis mentem evertens, hanc nocte dieque
Funeſtâ exſtimulet ſeſe exercere palæſtra,
Fortunaſque tuas videas verſare fritillo
Indocilem ſervare modum! Proh! quanta marito
Anxietas trepidum quatiet formidine pectus,
Cum toties cernes uno diſcrimine pugnæ,
Quam Canis aut dexter decidit ſenio, verti
Fata domûs, & res & cenſu divite fundos.
Nempe tibi plaudes cum totos Fœmina ſoles
Exiget inſanâ ludentum ſepta coronâ,
Et tabulam ſtatuens tot bellatoribus aptam
Quam multus labor artificiſque induſtria dudum
Tali habilem ludo expoliit, longi agminis alas
Porriget arte ſtruens pugnæ ſimulachra futuræ.
Aut ſi ruſticulus cenſor tam nobile tamque
Utile ſuſtulerit ſtudii genus, haud minus illi
Incendet vigiles curas cacoethes, agetque
Inſanam longa caſtrenſia ludicra menſâ
Ornantem, & foliis ſtatuentem præmia pictis
Quæ ſibi quiſque avidus ſperet bellator habere,
Aut quos turriculâ longùm verſavit eburnâ
Alveolo ternos gaudentem reddere talos.

Nec ſatis. En thyrſo fervens meliore, labores
Alta mente novos agitat, verſatque ſevera
Fronte gravis, ſi ſors det teſſera vincere palmam
Pulchro cunctatrix quem ludit Iberia ludo.
Ut furit ad monadem quam jecit ſorte ſiniſtrâ.
Ut gemit ad numeros à colluſore negatos!
Nunc viden'ad cœlum flammantia lumina torquens,
Ut ſuperos tacite incuſat, pictoque ſatelles
Quod nullus Regi obligerit, ſibi ſidera clamat
Exitium loculis turpemque afferre ruinam:
Huic ſtudio intentam ſtellis aurora fugatis
Craſtina cernet adhuc luſoriaque arma ſtupebit
Tractantem rabie indomita. Tum cedere pugnâ
Neſcia, Terrigenûm luget crudelia fata.
Heu miſeros quibus eſt molli reparanda ſopore
Vis animi, indignâ ſic & ſe involvere plumâ
Aſſuetos longas cogit ſocordia noctes
Exortes ludi traducere! Sed tamen illam
Solantur pugiles utcunque, fidemque gementi
Dant alacres poſt hæc diſpendia ſe fore præſtò
Infractos animis, habileſque laceſſere martem
His ſomni vicibus redituras pectore vires.
Fæmina ſic ludo vitæ momenta fugacis
Exigit. Utilium contemptrix, totaque nugis
Ebria, nil penſi demens habet omnibus horis
Dum fremat hanc circum ridentum mollia cœtus.
Sic demum inſanæ dum luditur alea pernox
Pernicies ſenſim non unâ clade ſuperbis

Accedit laribus, triſti & concuſſa ruinâ
Ampla domus fundo tandem ſubvertitur imo.
Horrendum! poſitâ præco ſæviſſimus haſtâ
Nobilium tot opes tot ditia prædia avorum
Publicat, & villas & grandia nomina vili
Addicit pretio; dum tota Lutetia clade
Perſonat, & parvi mendicant denique nati.
Sed minor hæc ludo clades quæſita ſiniſtro,
Quàm ſi dira fames & habendi cæca cupido
Immittat turpes furias, jubeatque pudendis
Conſumptam curis ſine honore fovere penates,
Et menſæ decus & dulces excludere cætus
Aſpera queis ſine vita fluit mortalibus ægris,
Qualem ſe geſſit Judex inamabilis ille
Quæſitor. Paſſim res decantata per urbes
Non te tanta latet, vel ſi latet, ecce retexam
Horribilem fido complectens carmine caſum.
Inter Patriciæ clariſſima lumina gentis
Nactus avos patribus proprios addebat honores;
Ingenioque opibuſque potens legumque peritus.
Una illi pulchræ virtutis ſemina labes
Corrupit noxam infligens vitioque decoros
Infecit mores fulvi ſitis ægra metalli.
Menſa quidem luxûs expers, ſed ſimplice cultu
Munda nitens; non huic operoſo vita paratu,
Sed ſine ſorde domus, ſine ſumptu, ſplendor honeſtus;
Huic gemini currum æquali cervice jugales
Præſtantes formâ parilique ætate trahebant;

Inſuper & fœno ſe mula ſuperſtite paſcens
Admittebat herum ſeſſorem , ubi ſancta Senatus
Limina jus æquo arbitrio dicturus adibat.
Sed ſitis hæc auri menti indita denique ſuaſit
Uxorem grandi ſibi quærere dote potentem,
Atque opibus fulcire domum utilibuſque hymenæis ;
His thalamis nec honos, ratio nec pronuba fulſit.
Indole nam præceps actus quò turpis avarum
Et vehemens œſtro ſtimulabat pectoris ardor ,
Sponte ruens vili plebis de fæce puellam
Venatus , triſtes inhoneſto fœdere tædas
Unâ Tiſiphone ſibi conciliavit amicâ ,
Nilque ſibi penſi duxit quo ſanguine creta ;
Quam thalamo ſociam adjungit , quâ prædita formâ :
Huic Plutus nummos numerando millia centum
Et formæ decus & roſeos afflavit honores.
Nil moles fœdo turgens abdomine ; vultus
Nil ferus aſpectu, nil lurida lumina torvo
Horrendum in morem intuitu deformia, & atrox
Ore color toto abſterret , ſtat ducere monſtrum ,
Et ſibi habere domi reginam ; Nec Venus illi
Pulchrius arridet Charitum ſtipata catervâ.
Hoſpite præclarâ dives ſibi plaudit ; at illa
Condita mente tenens matris præcepta pudendæ
Sollicitare virum & crebro domitum ariete pulſans
Vellere , & immodicos ſumptus luxumque voracem
(Sordida frugalem vocat iſto nomine menſam)
Emendare velit, penituſque excludere tectis.

Nec ſatis emendare virum ſermone, Megæra,
Rem pròbat exemplo præſenti. Credulus eheu!
Ille nimis ſponſæ quam perpete folle ſorores
Tartareæ accendunt, ſibi tunc reus eſſe videtur
Lurco vorax, & opes vera abſorbere Charybdis,
Judicio ſponſæ cuncta emendare paratus.
Concordes animis ſic conſpirantibus ambo,
Turpis avaritiæ funeſtâ tabe pereſi
Fœdè agitant, infandùm horret domus omnis, & atq;
Plus media panis cæpit decreſcere parte.
Nullæ lautitiæ menſis, obſonia nulla,
Et gemini venum pretio præſente jugales
Cum mula vectrice dati. Quin & duo ſero
Jejuni fœdos execratique penates
Conſuluere fugâ famuli ſibi ſponte, duæque
Jam dudum large colaphis & calce cruentæ
Ancillæ, celſis, Domina ſibi more premente
Præcipites ſcalis illum candente lapillo
Signavere diem, Superi quo, munere magno,
Conceſſere domum infandam & tot ſordibus atros
Deſeruiſſe lares; agitant nova gaudia tecto
Longè excedentes jam libertate receptâ.
Unus erat Domino teneris dilectus ab annis
Et lateri puero comes additus; ille ſenectâ
Confectus (miſerum!) ejicitur, licet optimus ævum
Nunc ſuſtentet, hero nuſquam gravis, æreque parvo
Quod melior fortuna olim florente juventâ
Quæſierat, cum ſors homines magis æqua foveret;

Suppenditet partim ſibi quod vitæ exigit uſus:
Profuit haud illi quod adhuc à matre rubentem
Excepit Dominum & primis vagitibus auras
Implentem gremio fovit. Benefacta tot illa
Oblitus laribus conjux abſcedere uterque
Imperat infami aſſuetum ſeu vivere rapto.
Ecce ſibi nullo vitæ jam teſte, triumphum
Par miſerum canit exultans, ſine prole beati
Et ſine ſervitio ſoli regnare, modumque
Sordibus haud ullum turpes imponere. Cella
Clauditur æternùm vinaria; jamque culinæ
Nullus honos, nulla tincti fuligine poſtes,
Nulla apotheca, focus nullus, nec fiſſile robur;
Virgea nec crepitans ſplendeſcit ſilvula blandum
Exhilarans, medio frigeſcunt tectaDecembri,
Et triplici conſtricta ferâ lignum horrea condunt,
Cum glacie concreti amnes atque hoſpita plauſtris
Æquora. Venatur, quæ cuique induſtria, victum
Dites mendici. Loculos hic ſæpe clientum
Ingenio obrepens emungere. Sæpe petitor
Audax depoſito prædam extorquere pudore.
Illa habilem furto dextram (quis credat?) ubique
Vicinis velox inferre nefanda Celæno.
Quid ſi vidiſſes quo cultu ſplendidus, urbi
Denique ſe ludos conjux præberet uterque!
Proh! qualis facies & quali digna tabellâ
Cum ſponſus putri petaſo illuvieque pereſo
Quem nec faſciola dignatur cingere, tectus,

Succinctuſque togâ cui mille aſſuta ſenectam
Suſtentant utcunque reſegmina, verteret in ſe
Scommata mordacis populi, ſi quando per urbem
Turpiter incedens cœnum deforme lutoſis
Irriſus triviis abraderet oblitus omni
Dedecore, & totus ſordes. Sed pingere nulla
Vis queat eloquii ſponſæ decus, ut ſibi quicquid
Purgamenta domûs inter Pannucia Baucis
Ejecit ſcobe, limoſis harpya lacunis
Vindicat extractum quo veſtem in fruſta fluentem
Inſtauret, ſeque impuro centone refectam
Oſtentet populo feſtis matrona diebus.
Quid dicam crudi peronis vulnera centum!
Quidve ruinoſum ſoleæ deformis hiatum
Qui vice plus unâ ſartus, coaleſcere nil jam
Arte poteſt, quidquid ſutor conſtringere certet?
Quid capiti impoſitam putri è bombyce calyptram
Unde ope funiculi villis defecta paropis
Nec dominâ tamen horridior, dependet? honores
Quid tunicæ eximios? quid ſerica tegmina, theſis
Plurima quæ texit formis impreſſa latinis
Dona Sophi quæ Prætori miſere clientes
Gymnaſio dubiam dederat quia vincere cauſam?
Nimirum nulli ſpecies occurrere falſo
Iſta queat cui non bilis jocularitet ardens
Suggerat hæc *Contra ſic argumentor & arma*
Expedio. Turpem ſed nullum dedecus urit.

At me forte putas fumos tibi vendere inanes

Ludentem nugis. Age tota Lutetia teſtis
Ecce tibi clamat, miſerum par vidimus omnes
Hos auri dirâ rabie exercere furores
Atque pari vitio infectos (miſerabile morbi
Exemplum !) monſtraſſe palam quàm ſponte ſibi
hoſtis
Inter opes magnas, auri argentique talenta
Inter avarus egens poſſit ſibi quærere majus
Paupertate malum, nec mendicare moleſtum
Eſſe magis quam ſic ultro ſibi cuncta negare.
Illos prædæ avidi tandem invaſere latrones
Atque domum fluvio tinxere cruoris avari.
Ille fuit fructus thalami; ſors iſta nefandi
Conjugii; tales furiarum maxima demum
Accendit cum fata parat crudelia tædas.

Forte modum excedit Tragico res digna boatu.
Sed ſatiræ anguſto tales comprehendere caſus
Carmine muſa negat, nec ſe cenſura minori
Limite conſtringit cum quiddam grande ſonandum.
Artem quiſque ſuam tractet; nunc ſermo ſequendus.
Ipſe, fatebor enim cenſor novus, ilicet alta
Pulpita conſcendens & magnum voce tonantem
Fingere Bordaloum fidens modo ſimia, mores
Aggredior rigidi vindex invictus honeſti
Carpere corruptos & imagine pingere multa
Tot vitii ſpecies tam multâ crimina formâ,
Et veros larva detractâ reddere vultus.

En tibi jam triplici patuit deſcripta tabellâ

Conjugii labes. Primo conamine Mœcham
Expreſſi; dein & veros ſortita colores
Emicuit Laſciva, choro quæ cincta procorum
Blanditias nugaſque agitat. Mox deinde ſecuta
Cui coquit ardentes auri ſitis ægra medullas.
Nunc decus en magnum ſcenæ ſe prodere geſtit
Aſpera Jurgatrix cui mentem dira lubido
Finxit inæqualem, ſed lites cudere ſponſo
Aſſiduam, ſævoque domum quatere uſque tumultu
Lis illi thalamus, lis menſa, domeſtica cuncta
Officia involvunt crudelis ſemina rixæ.
Tartareis ſemper Dirarum fœta venenis
Jactat in os ſponſo convicia; nil pede dextro
Vir movet incæpti, quod non clamoſa ſiniſtris
Arguat auguriis tentatum. Nulla procellam
Ars ſedare poteſt, ſtomachum pax ipſa furentem
Concitat. Heu! miſeri maleſanam accedere ſervi
Parcite, quando tubas plenis huic ſplendida bilis
Inflavit buccis ſemel & probra denique fervent.
Proh quot inauditis lingua tam divite verbis
Fœcundoque penu patrius diteſcere ſermo
Incipit; hæc ſi quis percenſens ſingula verſu
Ordine quæque ſuo referat, mox pagina vati
Surget in immenſum multâ damnoſa papyro,
Turgiduluſque novo Richeletus ſemine creſcet.
  At tibi nil ſimilis metuendum, ſponſe, procellæ;
Quando piis prudens quæſita penatibus uxor
Purum affert decus & mentem rationis amuſſi

Damnabit tædas infeliceſque hymenæos.
Neve tibi ſperes, facili licet indole frontem
Jam nunc blanda ferat, ſic ſemper amabile fauſtâ
Pace jugum tibi facturam ſi fœta malignâ
Suſpicione, ſuam menti crudelis Enyo
Inſtillet rabiem; tunc & ſtridere colubris
Eumenides, tunc tartareus latrare trifauci
Horrendùm ore canis, tunc & ridere marito
Et mœrere nefas, levis & tibi jurgia nutus
Arceſſet, diro bacchari ubi cæperit œſtro
Mænas. Ubique tibi inſidias, tibi crimina ubique
Arte ſtruet, dulci nec claudet lumina ſomno
Obſervare aditus vigil anfractuſque viarum,
Et ſi quis laribus ſecretior angulus, artes
Conjugis infidum quem cœco victa furore
Suſpectat, forte occultet. Te conde ſepultum
Totâ tectus humo, chaos & ſuper injice magnum;
Hanc nunquam effugies, cuncta illi pervia clauſtra.
Te reperire furens hirtos effuſa capillos,
Omnia percurret latè loca: ſede latentem
Arcana quam centuplici ſera vincta catenâ
Obſerat, immotoque tuentur cardine poſtes
Olfaciet furtim venando & lumine tandem
Lyncæo felix deprehendere franget acutis
Queſtibus, immanique incendens voce dolores
Horrorem ſparget vera Eumenis, haud tibi qualem
Harmonicos inter concentus exhibet Iſis
Tranquillam, ſed quæ tortis adſibilat hydris

Vipereumque quatit ſanie ſtillante flagellum
Alcto, excitam dirarum ab ſede Sororum,
Quam torre armavit felix Æneidos author,
Bella ciere habilem, ſtimuliſque accendere Amatam;
Et Regi Turno furiis evertere ſenſus.
Grande Sophocleo ſed quid nunc carmen hiatu
Aggredior? Mites poſcunt ſibi mitia ſocci.
Jam minus horrifico tibi ſcena ſtruenda paratu.
Sit procul immani ſtridens harpyia fragore.
Dic age num Mænas pacatior illa placebit,
Quæ totos morbum ſimulando pallida menſes
Se magno Medicis ſumptu, ſanare valentem
Si valeant, florens & viribus integra tradit
Curandam. Thalamo crudelem ludere ludum
Sic fidens, mœſtos ficto mœrore penates
Affligit, plumâ extructâ & ſe venditat effrons.
Proh dolor! hanc decies unâ modo ſpiritus horâ
Deſeruit. Vitam fugientem vix levis illi
Suſtinet aura fovens. Miſero fraus illa marito
Nectitur. Heu quianam caſus ſic lethifer urget
Ut mortem exoptet? Nunquid demeſſuit ungue
Atropos immani florem quo magna potentis
Fata domûs ſtabant? Nunquid ſine pignore luget
Deſertos mœrere lares; nihil accidit hujus
Quod ſit cauſa mali, ſed mentem evertit iniquo
Felle dolor temere conceptus. Carpitur intus
Atrâ bile furens quam nullâ concoquat arte.
Eſt famulus ſponſo quem multa induſtria carum

Reddidit, officiis habilis quæ plurimus uſus
Exigit; hunc cæco jamdudum exoſa furore
Perſequitur. Satis eſt cunctis placuiſſe, quid urges
Et cauſas odii inquiris? Reus inde videtur
Quod pulchrâ virtute placet, nec deſinit atrox
Exſtimulare virum quo tandem cedere teſtis
Imperet egregium Juvenem. Res inſuper urget
Utilitaſque domûs inviſere prædia, fundos
Et luſtrare, viâ ſed non longâ, urbe repoſtos,
En ſe dura negat comitem præbere marito.
Proh! ſi quæ pulchrum (quo pellex flagrat) Adonin
Illi virgo die avellat non amplius uno!....
Quam vellem huic ludo verum ſuccedere morbum
Ilicet! at ſatis eſt quod agat ſic improba nugas.
Mox lecto adſtabunt Curtoſius & gravis annis
Denius Hippocratem ſpirantes, atque furentem
Sanguinis immodico luxu (proh quanta poteſtas
Artis Pæoniæ!) mora nulla juvare parati,
Certabunt virus vireſque abſumere, largum
Vindice ſcalpello prompti exhaurire cruorem,
Quâque caret noxam ſic conciliare medendo.
Scilicet abnormi dum certat uterque Fagoni
Se gerere infenſum, multâ ratione Puellam
Utiliter tumulo ſapiens inſania condit.
Hanc Deus æternâ componat pace beatam
Optimus, & tali (ſunt hæc mea vota) medentum
Nos arti eripiat. Sed ego cui ſenſibus imis
Natura inſevit Medicorum horrere cohortem

Et vitam tanto diſcrimine credere nulli,
Hîc tamen humanos prudens expendere lapſus;
Illis jam nequeo non condonare benignus,
Quod ſemel errarint, veniam meruere nocendo.
Iſtæc ſed nugæ ſunt & mera ludicra, major
Nunc tuba nobilius quiddam ſonet. Ecce ſuperbâ
Fronte ſubit ſcenam docto comitata Senatu
Litterulis ſeſe jactans matrona, Palæmon
Cui multus doctrinâ hirtus, paſtuſque chimæris
Aſſidet. Huic Robervallus, Salvorius adſtant
Aſſidui. Verum obſcurâ ferrugine cur ſic
Interfuſa genas & fuſcâ lurida formâ!
Scilicet aſtrorum cœlique ſecuta meatus
Tota nocte vigil radio deſcripſit, & ignes
Innocui Jovis & Veneris ſpeculata benignæ,
Caſſino monſtrante vias, dubiamque regente.
Auram inclementem ſublimibus ardua tectis
Non detrectavit nudoque ſub ætheris axe
Ferre, graves alacris pro laude ſubire labores.
Parcite volventi argutâ tot grandia mente
Obſtrepere, atque animi gnavum abſterrere vigorem;
Non ſimplex illi ſtudium, non una metenda
Palma hodie. Dalencæum pulchrâ anxia curâ
Inviſet. Microſcopii nova forma probanda eſt
Optica quam ſudans finxit; mox & tua velox
Limina, Verneide, curru ſublimis adibit.
Fœmina ibi fœtu jam grandi plena, tumentemque
Illa uterum geſtans extincta, ſecanda Chirurgo

Objicitur. Luſtrare oculis digitoque notare
Non piget hanc fœtus cladem caſuſque latentes.
Intima ſcrutando rimatur viſcera, nullus
Abſterret fœtor, mulier nil præterit audax
Intactum, docto vacat indefeſſa labori.
Nunc nova ſe profert ſpecies. En putida greſſum
Admovet illepidos affectans ſtulta lepores.
Agnoſcis fatuam, nugis quas blandula jactat
Tota tumet, maleſano illi mens ebria guſtu
Omnia corrumpit, ſordent hinc optima cuncta.
Ecce refert fidâ nobis in imagine totos
Spirantes Vadios; Lycidam viden'exprimit ipſum,
Quos pravæ infectos doctrinæ labe, Theatris
Ridendos docta Molerius arte propinat.
Hæc illos vili etſi ſuggillata popello
Ulciſci vindex non deſinet, unaque ſectæ
Exploſæ toties, vimque & decus addere certat.
Docta domus Baviis patet, huc denſâ undique turmâ
Cerne adventantes Coracas, pinguique minervâ
Aſſuetos blattis præbere voracibus eſcas
Perrinos quot quot puerili ſplendida fuco
Garrulitas commendat, inani & turgida luxu,
Ingenii veros ſic ementita colores.
Hîc portum nacti quos tota ſibilus urbe
Urget, & inſulſis, dominâ ſic vindice, luctus
Solantur nugis. Plaudit ſibi turba, camænis
Frigeat iratis quamvis, & apolline lævo.
Hîc quodcunque novum ſtultis arridet, & ipſa

Et tineis. Caries divina Poëmata fœdè
Conficit. En miſerâ magis heu! deſpecta Puellâ
Nullo emptore jacent. Proh! ſæcli dedecus, omnis
Ecce eques, & forti cum centurione Tribunus,
Dux omnis, doctâ paſſim cum plebe Senator
Venatur Veterum libros, ſtudioque volutat
Aſſiduo. A ſummo labes invaſit ad imum
Ille vetuſtatis pædor; nec ſanguine cretam
Borbonio pubem pudet Afri putre Terentî
Volvere opus, ſuetique Andinum voce ſonare
Virgilium incultâ proceres Æneïde pleni,
Perralto oppedunt, ſemper neſcire maligni
Si quod Epos ſeſe Paulini nomine jactet.

Quid prodeſt, inquis, fatuæ deliria ſectæ
Pingere? quid triſtem furit hæc quo fœmina morbum;
Dogmatis inſani dum quod ſchola cunque tuetur
Et ratio ſuaſit præpoſtera, certat inepte
Defenſare procax? nunquid me vana ſupellex
Librorum incendit? num mille incondita ſcripta
Admiror ſocius vulgi? aut mihi ducitur uxor
Diſcipulam docta quam finxerit arte Minerva,
Quæque rudimento felice ſuperba minetur
Scripta libroſque viro? Quid ſi mihi proſpera fata
Uxorem adſciſcant, quæ ſanguine clara ſuperbo,
Auſoniæ numeret clariſſima nomina gentis
Inter avos atavoſque?... Hoc ſcilicet, Optime, adegit
Nobile mercari munus, Regiſque ſigillo

Adſtantum procerum præclaram augere cohortem.
Hoc titulo fulcire lares mens optima ſuaſit.
Nunc tamen (hoc etiam me condonabis, amice,
Inſanire) mihi ſi Patrum ſtemmate plena
Grande ſupercilium fumis elata ſuperbis
Inferret laribus conjux ; ſic ipſe tumentem
Riderem increpitans. Dudum mihi cognita gentis
Fata tuæ, domus egregiis & fœta trophæis.
Nempe duces bello invicti certamine magno
Quo rem reſtituit nobis cladeſque rependit
Heſperiæ genti Enguienus, ſibi ſanguine laurum
Emeritam peperere ; nihil monumenta Varillæ
His ſuper, ille licet nuſquam ſit laudis avarus.
Quidquid id eſt ego ſic Nymphæ compeſcere faſtum
Urgerem. Dominæ non eſt ſervire feroci
Propoſitum, & placidis Reginam inducere tectis
Marti habilem. Belli ſi te unâ laude Penates
Clari delectant, procul hinc, Bellona, faceſſe
Quam primùm, & Ducibus quando concumbere magnis
Eſt animus, modò quid prohibet tibi figere ſedes,
Illic multiplici Mavors ubi cæde cruentus
Ceriſollano tot corpora ceſpite condit ?
Hîc ſuper immanes confuſæ cædis acervos
Fractâ ubi tot juvenes perierunt cuſpide Iberi
Præclaro Patrum involvens te conde triumpho.
Hinc fuge, nec thalamus, mea nec tibi menſa parata eſt.

Hic

Hic tibi quod ſtomacho tam maſcula ferveat ira
Laudo, rurſus ais, ſed te ſuper omnia ſanus
Admoneo, mihi non uno fulgere Sigilli
Clara Magiſtratu natalia, nempe creato
Antiquâ de ſtirpe Patrum quos ordine longo
Curia purpureos numerat: ſanctoque Senatu
Non hodie cœpit noſtrum increbeſcere nomen.
Advena nec mecum prudens contenderet ullus,
Quales aſſidue provincia mittit in urbem
Pulvereos, alboque pedes perone revinctos.
Verum etſi molitorque parens, molitorque, parentum
Quem primum longè agnoſcit ſtirps tota, fuiſſet,
Ipſaque vel Regum foret inclyta ſanguine conjux,
Non metus eſt patriâ ſponſo ne quando farinâ
Oblinat os. Sedenim vix primum luminis auras
Hauſit amans recti, cum ſe componere magnis
Exemplis certans cœpit mortalia cuncta
Deſpicere æthereis divinitus ebria curis.
Quoque minus fœdâ luſus formidine, fingas
Ipſe tibi triſti ruituros deinde procella
Seminis egregii fœtus, ſimul ipſa jugali
Uxorem induerit tæda: tu mente teneto
Hoc unum quod conjugio tuta omnia ſpondet.
Inter connubii leges & fœdera mecum
Quæ pepigit prudens, unum hoc præque omnibus
unum
Exegit ſtipulata ſibi, ne ſponſus inani
Servorum numero cinctam ſe ferre per urbem

Magnifico curru, tunicaſque ſinuſque crepantes
Argento ſaturos pictam & Gangetide gaza
Cogat & attonitum vulgus miſcere tumultu.
Mene, ait, inſanæ edentem ſpectacula pompæ
Impia, pulvinar templis inferre pudendum
Fulgentemque opibus quas mitunt Seres & Indi
Zelotypi juſtas accendere numinis iras?
Sic pietas inſculpta animo... Jam necte coronam
Poſtibus, en ſancto matrona pudore recumbit
Juncta tibi, nihil & ſpecies hæc ſplendida monſtrat;
Quod non ſincero conceptum pectore verus
Fervor alat. Sed liber adhuc tibi conſule. Sæpe
Heu neſcis!) trucibus malefœta ſuperbia monſtris
Interiore ſinu mentis fovet abdita virus
Dum puram affectat ſimulata modeſtia frontem.
Nempe habet hos ſibi relligio præpoſtera mores.

Nunc age quot fraudes pietas hæc impia celet
Dum canere aggredior, memori tu mente teneto.
Nil ſuper. Hac omnes ſedenim ſtat imagine formas
Claudere quas pulcher furor hîc mihi pingere ſuaſit.

Urbs tibi nonnullas, nonnullas proferet aula
Quæ ſtudia aſſuetæ ſibi fingere ſimplice Recto
Et viles circa mortalia temnere curas
Incumbunt operi quod ſanctum cunque piumque
Mens bona deſignat, certam Deus unica merces
Ut normam poſuit. Cunctas ſupereminet una
Aurea quam cœlo pietas commendat & aulæ
Sorte pari & populo. Fortunæ munera calcans

Contemptrixque ſui divinâ Fœmina mente
Inter opes ſibi vileſcit cunctiſque verenda
Vix tot parta ſuæ virtuti præmia paſcit.
Atque importunos Eſther nova luget honores.
Hanc nævi expertem, Vitio vel judice, jam jam
Agnoſcas purâ dum ſplendet picta tabellâ.
Paucæ adeo expertes fuci componere vitam
Unâ lege Dei, & cœlo qua ſe via pandit
Aſpera, rumpere iter certant, veſtigia ſuetæ
Figere quâ pudor officii regit uſque magiſter.
Quam multæ ficta ſub relligione pudendos
Occultant mores, vitiiſque hoc tegmine nubem
Solertes ſpecioſam obtexere ſordibus intus
Infames, ipſum qui plurimus ore doloſo
Pingitur, heu cogunt ludo ſervire Tonantem!
Hîc me tot Veneris portenta referre nefandæ,
Tam multas pudeat ſpecies. Vos iſta procaces
Cœpta Rabutini quibus eſt frons durior, & vos
Brantomii mandate libris; probra dicere tanta
Durius eſt quam fœmineum tolerare furorem.
Nempe ego purpureum cui frons malè firma ruborem
Continuo trahit, heu vereor, mihi parcite, ne cui
Laſcivâ nimium videar luſiſſe camænâ,
Et rigidi longè fines egreſſus honeſti
Impuram Chartis hic illeviſſe cloacam.
Crede mihi nullum tam deteſtabile monſtrum,
Quod non Tartareâ furioſa libidine vincat
Fœmina, virtutem quæ ſic mentitur, olympo

Illudens, ſacroque tegit facta impia velo.
Sed tamen hic fucus fictâ pietate malignè
Ludentum, ſponſis quoniam magis æquus, amara
Non ita bile movet ſtomachum & mihi ſuſcitat iras
Quàm ſi quæ, mentem dirâ evertente phreneſi,
Stulta, ſuperba, procax, cæciſque furioribus exlex;
Argutos volvens arcana per omnia ſenſus
Se putet aſtriferum prope vertice tangere cœlum,
Cum cœno implicitis, miſerabile, greſſibus hærens
Immenſo vix limen adhuc ſuperare labore
Evaluit, ſed capta oculis per inane vagatur,
Et quater ante ſuum quam luna peregerit orbem
Plena ſemel, mentis tacitos aperire receſſus
Sueta Sacerdoti, ærumnas quibus impia ſponſum
Exercet, magno oſtentat veſana triumpho,
Atque oculos cœlo attollens, ſi qua arte recludat
Aſtra ſibi meritas hinc judice numine palmas,
Quærere confidit quod me quatit ægra tumultu
Aſſiduo. Mille officiis quæ ſingula certo
Ordine deſcripſit, Patres pietate laceſſit
Æmula quos ſuperâ virtus ſua conſecrat aulâ
Crebra Rodriguezen verſat, gradibuſque frequentem
Arte precem fingens mentis penetrale fatigat
Arduaque arrectis paſcit deliria curis.
Mendicare ſtipem dignata jacentibus ægris
Et ſi quos curis pudibunda exercet egeſtas
Sedula magnates ambit prece, & ardua pulſans
Limina quærit opem miſeris. Nil territa tabe

Morborum, fœdos non horret adire penates
Ptochotrophî, cæco nil turbat fornice carcer.
Non contenta ſacro ſeptemplice circuit aras
Mane omnes, Divis & nequicquam omnibus adſtat.
At frænare animum indocilem, ſedare tumultus
Indomitos mentis, cæcam ambitionis & iræ
Tandem multiplici rabiem vincire catenâ
Hoc ut agat, Deus, ipſe Deus vix audeat author
Conſulere. Interea immanem fovet ebria luxum
Ceruſſata genas & ludicra inania captans.
Unus conſilio ſibi quem prudente magiſtrum
Delegit, medicumque animæ emendare fluentem
Luxuria poterit. Recti lex inde petenda;
Hunc penes eſt ratio vitæ arbitriumque gerendæ.
Continuo ſtat adire virum. Feliciter ecce
Huc tendit. Viden' ut roſeo nitet ore verendus!
Vividus ille color quam blandis ignibus ardet!
Quam ſucci plenus, quam puro ſanguine fervens
Vultus purpureos oſtentat veris honores!
Vix tamen heu! genua ægra trahit, vix febris acutæ
(Credite) quæ totum flamma torrente coquebat,
Evaſit furias, & adhuc cerebrum improbus æſtus
Afflictat, ſors & (promptam niſi ſancta repente
Turba tuliſſet opem) lecto frigente jacentem
Horror adhuc tremulum quateret. Verum aurea Parcæ
Illis fila legunt quibus omnis vita laborat
Fœmineum ſtudiis pietatis fingere vulgus.
Florem hominis mirare, levis ſi nauſea torquet, e

Aut vapor elatus fumante liene laborem
Dat capiti; actutum mulieribus undique turmis
Succinctum videas, domus omnis fervet amicis
Officiis. Jus una coquit, clyſtere benigno
Illa levare parat ventrem, lenimina multa
Adjiciens, pia conclamat grex totus ad arma
Ilicet. Hæc lentum validis ſtimulare vigorem
Fomentis properat, generoſos altera ſuccos
Exprimit arte nova, vitro ſplendente liquores
Ambroſii viva perſtringunt lumina flammâ.
Plurimus è tota trepidans en advolat urbe
Dona ferens nectar, mellitaque edulia ſervus.
Nec deſunt genus omne tragemata paſcere ventres
Apta pios, rabidam ſimul & facientia orexim.*
Nempe cibos dulces quibus Indica ſaccara guſtum
Afficiunt tot deliciis, devotulus uſque
Affectare ſolet ſtomachus, ſeu cruſtula conſtent
Spiſſius, aut liquido ſubeant bellaria fauces
Flumine, molliculâ vel ſint adipata farinâ.
His inhiat pietas avidè. Nam maſſula (facto
Credite) prima nucis Thaſiæ cum lacte ſubacta
Quæ fuit, & melle hoc (quod preſſa remittit arundo)
Cocta, Patrum ſumpſit ſibi ſponte fovere beatum
Abdomen. Proptio hinc ſibi jure Paterculus omnis
Vindicat hoc quotquot venduntur Medica mala
Nectare Rhotomagi pulchræ condita quotannis.
Illic primitias artis ſibi namque tulerunt
Dulciculi meritas Myſtæ vafrique cuculli.

Scilicet hic nuper cœlo Cato miſſus ab alto
Placabit, ſi quis malè torquet ſpiritus ægtam.
Parcere ſed prudens ſævi contagia morbi
Fatali totam quæ corripuere veneno
Diſſimulare catus, violiſque roſiſque viarum
Difficiles aditus conſternit, & undique cinctum
Floribus ad cœlum rectâ contendere dexter
Componit viridis nova per compendia prati.
Quid tibi, ait, vanis animum terroribus imples
Incaſſum? Quid te cenſurâ triſtis inani
Excrucias? mentem nunc erige, & excute fœdum
Mœrorem, qui te curis exercet iniquis.
Quod ſic picta nitens formam tibi fingis inepti
Mirantur. Sedenim vili ſi ſordida panno
Horreret veſtis, fumoque nigrante decoras
Atra genas ſpectro ſimilis te ferre per urbem
Atque adſtare ſacris auderes lurida, credo
Tunc ſtolidi poſſent ſic condonare furenti!
Quod vitæ omnipotens rector ſibi vindicat uſus,
Hoc cunctis æquus ſapiens amplectitur omnis.
Ipſa ſed imprimis mulier ſe fingere more
Communi, & vulgo prudens ſervire tenetur,
Sic aiunt, auro gemmiſque incedis onuſta,
Sic adamas pallam, ſic & carbunculus ardens
Incendit? baccis ſic ignes ſpargis Eois!
Siccine fas cultu ſe ſe oſtentare profano!
Prorſus ita eſt. Sors hoc vitæ ratioque decenter
Sæpe jubet. Sed quâ ludum arte tuebere cui ſio

Indulges ? Quid ? nil vitii trahit alea pernox ?
Quid mihi tu ? ſemper licuit ſemperque licebit
Diſcutere ærumnas ludo vitæque labores
Fallere. Quis ſemper contenta mente precari,
Aut ſtudiis animum queat evigilare ſeveris
Continuo niſu. Præſtat ſic ludere ludum
Pervigilem, quam tartareâ præcordia toſtam
Invidiâ fratrum linguâ proſcindere nomen.
Hoc animo quiſquis ludum fovet, huic pia quando
Inſita relligio, recta omnia ſanaque conſtant.
Alea ſic poterit ludenti evadere virtus.
Quid tu, aiunt, inhias opibus, ſtudioque perenni
Anxia fortunæ cognatis munera captas.
Ambitione tumens & cuncta vorare parata
Quæ ſibi cunque poteſt ſperare ſuperbia demens ?
Hoc nempe indicio magnæ ſe gloria mentis
Nobilitaſque probat. Cognato ſanguine victa
Scilicet hac optas caris bona digna propinquis.
Ergo nefas fuerit quos virtus clarat amore
Complecti enixo fratres ? quis nomina Patrum
Magna, quis egregiæ præclaros gentis honores
Neſciat. Illa piis contingere munera, crede,
Eſt ſatius quam ſi mundano turgida faſtu
Pectora, divitias irritamenta malorum
Acquirant animæque parent diſpendia, donis
Ebria fortunæ. Vulgus ſine vana profanum
Exprobret, ulla ſuper nec te angat cura ſalutis.
Sic dubias lites dexter ſecat ille, ſerenus

Senſibus illabens. Sunamitis ibi optima Patri
Reſponſare nihil, ſed victam conſcia veri
Ut jubet interpres mentem ſubmittere. Non, ſi
Advolet ætherea ab arce legatus ab arce Tonantis
Juſſa ferens ales, demiſſior illa verendam
Aligeri excipiat vocem. Sic plena tumultûs
Nequitiæque, ſibi vitæ placet integra, & uſque
Pacem agitare putat nec laudis tramite latum
Defeciſſe unguem. Nimirum crimina poſtquam
Arte planus blanda laudis ſub ſyrmate, ſcenam
In mediam profert fucata, nefaſque venuſto
Ore jubet pictum ſplendeſcere mentis adulter;
Virtutem incolumem ſcelera inter atrocia ſervat.
Sic Chriſto impurus Belial ſociatus, & agno
Paſta Deo aſſiduè mulier ſub pectore eodem
Toxica mille fovet, fovet & pia pignora vitæ.
Et quia ſacrilego ſemper veſana furore
Horrendum! ſine fine invadit myſtica liba,
Seque pio Chriſti execranda cruore ſaginat,
Jure ſuo ſceleri deberi ſydera credit.
Jamque prope eſt ut ductoris fanaticus error
Molle Quietiſmi per iter per florea prata
Ingreſſam barathro involvat, caſtriſque Molini
Adjungens ſociam? doceat quæ Tartarus offert
Gaudia in ætherea jam deguſtare palæſtra;
Talia Luciferi veniunt compendia ductu.

Hæc quæ molliculo ſic diffluit ebria luxu
Num minus arridet quam quæ ſtomachoſior uſta

Bile acri, furiis pietatem neſcia flecti
Obtendens ſine lege, Deum præpoſtera jactat
Aſſiduo ſtrepitu, & mentem fervore maligno
Rodere ſueta putat cunctos odiſſe Tonanti
Ruem gratam, & veros ita ſe perſolvere honores:
Dumque ſui immodico demens reſtagnat amore
Sic credit placitos incendere thuris odores.
Inſanâ nuſquam non ſuſpicione laborans
Virtutique nigrum præfigere Theta parata
Urget perpetua, nullo ſub crimine, ſervos
Lite ferox. Nullo non tempore ſæva recurrit
Tempeſtas animi; ſimul ut vel voce benignos
Officii blandâ vel ſedulitate, Puellæ
(Cui candore micat frons illecebroſa) favere
Aſpicit, hac ipſa ſontes pronunciat horâ.
Et mora nulla, domo collectis imperat amens
Sarcinulis migrare omnes, alioſque repente
Inducit Domino ignotos. Hic urbe reverſus,
Miratur vultus inſuetos, ipſeque ſervis
Advena, tam ſubita mutatos ſorte penates
Vix agnoſcit herus. Tum janitor edere nomen
Poſtulat & propriâ Dominum prope trudit ab aulâ.
Exierat placidis rebus; Pax alta fovebat
Servos & Dominam; redeunti fœda procellæ
Occurrit facies & belli triſtis imago.

Præclarè. Tibi nec pulchrâ virtute placere
Fœmina nec vitio ulla poteſt. Color ille venuſtam
Fœmineo ſpeciem generi vultumque potentem

Illecebris aptat. Non arte potens Theophraſtus
(Vel ſi præſtet opem ingenio felice Myrica
Ipſe) tuum poſſit pingendo æquare laborem.
Hæc ſatis, hîc artem victor calamumque repone.
Nil ſupereſt Satyræ ludendum. Nil ſuper ? Error
Hic Alcippe tuus riſum facit. Hoc mihi campo
Quanta ſeges nunc ſeſe offert ! quam immenſa canendi
Materies vati excreſcit. Si ſingula verſu
Exequar hîc ſubito mihi mille volumina ſurgant.

Nunc tibi quid pietas cæco fervore ſevera
Damni ferre queat tantum expediere camœnæ;
Proh quantum ſtupeas tragico ſi ſyrmate grandis
Calliope velo portenta nefanda remoto
Prodat & horribilem non uno crimine ſcenam
Inſtauret ! quanti quatient aulæa tumultus !
Hîc cœlo impietas redivivam attollere Phlegram
Et ſacra calcare, & ſuperis oppedere ſueta
Neglectaque furens bacchari denique famâ
Terrebit monſtris circum latrantibus. Horror
Quantus erit cum ſe tibi plurima proferet exlex
Contemptrixque poli Capanæa, triſulca Tonantis
Quam moveant nil tela, nihil deſiſtere cæptis
Terrifici cogant magnum per inane fragores.
Pæne pius poſſit Barrauxius ipſe videri
Collatus furiis quibus eſt lex unica fatum.

Sed ſine tartareum ſcenâ diſcedere monſtrum.
Dic age nunquid adhuc noſtri pinxere colores
Indole inæqualem variâ cui vultus in horas

Mutatur formâ ambiguâ, mens & ſibi diſpar
Seto inſectatur cui mane arriſit amica ?
Num tibi quæ falſis oculis & corde maligno !
Num tibi picta ferox ſubito quam dura tumultu
Aſperitas præcepſque acri vehementia motu
Non nunquam exagitat ? Vetulæ vis cernere celſam
Cervicem, dum luxuria ſtimulante ſuperbam
Præſtat adhuc dominam, & venis frigentibus ardet
Mente procax, cui bis denis contractus ab annis
Non potuit torus inſanas compeſcere flammas.
Illa procum ſibi blandiri juvenumque furores
Vellet inexhauſtâ ſponſum exercere palæſtra.
Num placet & vino venas urente frementem
Evohe depingam ? viden' ut bacchantis ab ore
Scintillæ abſiſtunt ? quæ gaudia ſpargere lectis
Certat plena mero fumante & olentia tetro
Helleboro quo crevit adhuc furor, oſcula jactans
Quæ juvenes ſtomacho non reſpondente furentis
Blanditiis fugiant ! quis enim tolerare venenum
Tale queat diros cum ſubdunt Allia fumos ?
Vis coram exhibeam matronæ ludicra, turpem
Quæ cauponam aperit ludentibus, atque popinæ
Non dedignatur cunctas ſectarier artes !
Illa cibos coquit, & tenui contenta lucello,
Prandia dum vendit turpes & dividit eſcas
Fert turpes ignominias probra mille vorare.
Cogitur obſcurâ quæ non tolerare tabernâ
Aſſe coquus deno vellet ? Quid ſi tibi pergam

Prodere Tiſiphonas, tot monſtra tumentia felle
Quo Tigris Hircano ſaltu caret atque leæna
Quæ Nemees ſub rupe ſpecum incolit? in ſua duræ
Viſcera crudeli lanienâ pignora vexant
Legitimo ſibi nata toro, turbamque miſellam
Natorum dulci quæ nuper ab ubere pendens
Imploravit opem, non ceſſant urere flagris.
Sic odio indulgens quo devovet impia ſponſum
Fœmina vel proprios in fœtus barbara ſævit.
Nec prece nec fletu rabies manſueſcit amaro.
Incendunt iram lachrimæ, domus ægra dolore
Rumpitur aſſiduo, gemitus ampla atria reddunt;
Lamentis & tecta ſonant miſeroque ululatu.
Illic Sicanium credas habitare tyrannum.
Quid! ſi nunc ſcenam ſubeat cui vexat inani
Cæca ſuperſtitio trepidum formidine pectus!
Quid! ſi ſe prodat ſublimi voce Magiſtram
Quæ ſonat! heu quæ te vexabit nauſea ſi te
Compellet mulier plebeîs putida curis,
Et cui continuus felis barbatula ſermo,
Quæque nihil ſanum quantumvis garrula ſemper
Voce crepat! paſſim occurrunt tot millia, nullus
Eſt modus. At ſtatui tibi parcere, vox quoque vatem
Nunc fugit ægra, licet faſtigia ſumma ſequentem.

Non tibi nulla iſtic referenda eſt gratia, quod ſic
Condones, ais, ſed jam ſatis, ô bone luſum.
Parce, decet. Quid? tu tot frivola ſuave jocando
Dum garris nobis mentem expugnare cavillo

Poſſe putas falſus. Nimirum hæc ludicra fingis
Argutus ſine felle, fuit ridere decorum,
Cenſori pulchra cui pectus biletumeſcit.
Talis nequitiæ ludo florente juventâ
Anteferens homini mutum pecus, optimus artem
Jactabas. Mihi crede, modum nunc ponere nugis
Et ratione decet litem finire jocoſam:
Rem verbo abſolvam, quæ me face virgo pudica
Incendit, tot nobilium præclarus avorum
Sanguis, honos formæ cui pingitur illice vultu
Eximius, verumque decus ſub frontis amænæ
Illecebris fulget; non illa decore juventæ
Purpureo tantum mihi dulcia vincula nectit
Quantum animi ſenio. Sed ſi mutata repente
Sorte malâ quam nemo queat ſibi fingere morum
Hæc portanta mihi indueret, tigrimque cruentam
Præſtaret, quam cœlitibus nunc æmula certans
Ætherei exornat ſapientia plena pudoris
Angelicusque nitor, tum nil ego turbidus iram
Corde premens, Nympham placido ſic ore ferocem
Alloquerer. Non nos ſub eodem ſiderefinxit
Rex ſuperum. Diſpar naſcentem excepit utrumque
Sors fati indocilis noſtros conjungere ſenſus,
Et numeros dare cognatos; Migrare ſeorſim
Nunc decet; Euge tibi privatim conſule; jam nunc
Diſſilio. Dotis numeratæ nil moror, aſſem
Jam tibi habeto tuum. Sic nos & mutua ſolvat
Compede conditio; nec enim convivere fas eſt.

Sic demens arcto credis connubia nodo
Stricta ſtatim ſolvi ? non hoc deſiſtere pacto
Invicem & illa tori diſrumpere vincla poteſtas.
Neſcis heu ! quo res tandem ſic cedat utrique ;
Inſuper hoc Patriæ communi lege requiri
Et conjux facili aſſenſu ſe præbeat æquam
Acceptis quæ tu ſapiens moliris, & ultro
Diſcedat patrios repetendo ſponte penates.
Scilicet illa tibi cruciatum cudere felix
Unica cui ſponſum facilem torquere voluptas;
Illa, inquam, cito ſic poterit deſiſtere ludo
Qui cordi eſt unus ? rabidam furialis Enyo
Dum mentem inſpirat, ſtimulos huic plurimus acres
Rabula, ſubdit adhuc catus exercere cruentas
Mille artes cuſas fornace nigrantis Avernis.
Quid ſibi Pariſiâ non ſperet fœmina lege.
Ecce voluminibus magnis te provocat, ingens
Ordo illi pugnæ inſtruitur. Lex ferrea ſponſos
Nimirum hic urget, ſibi quas fixere benignâ
Mente viri, facileſque ſuo decedere jure,
Fœmineæ accreſcant ut opes & gloria genti.

Hîc hæres dubius mentis. Rem credere juſto
Fas, ais, arbitrio. Quid ? tu tibi fingis, Amice ;
Sic fore ut illa foro cedat, litemque moleſtam
Tot dudum ærumnis tanto & diſcrimine ſtantem
Deſerat. Hæc tibi jam felix feciſſe laborem
Sorte tuâ gaudens ; non tam ſua jura tueri
Feſtinat, quam multiplici tibi clade nocere :

Angulus huic unus dirimendus jure maligno
Carior eſt, quam ſi facilis ſors jugera mille
Mille det immenſis actutum prædia fundis.
Hac rixante nihil liqueſcere, nil tibi plano
Æquari arbitrio, reincreſcere jurgia ſeque
Flore efferre novo, licet extinxiſſe vetuſtas
Jamdudum & multâ videatur nocte ſepulta
Occubuiſſe ſolo. Fraudis ſcelerumque repertor
Hinc prope cogatur ſubmittere ſigna Roletus.
Crede mihi, ſalvum ſi te cupis, optime, finge
Mente novas artes quibus & placare furentem,
Et ſuper injecto poſſis conſtringere nodo.
Ni facias, ſors ſorte fori modo preſſus iniquâ,
Viribus exhauſtis, macie confecta ſupremâ
Ora gerens, loculos emunctus, ſolus oberrans,
Ne comitante quidem puero, (ſic triſtis egeſtas
Sæviat) & rabie forſan ſtimulante paratus
Non ſemel infamem nodum trabe nectere ab altâ,
More feræ vives, extremâ clade coactus
Rurſus eam laribus conſortem inducere lecti.

SATIRA XII.

SATIRA XI.

AD CLARISSIMUM D. D.

DE VALINCOUR,

Rei Navalis Scribam Generalem, & Sereniſſimo Toloſatum Comiti à Secretis & Mandatis.

NEMPE omnes pulchri ſpecies incendit Honoris,
Docte VALINCURI, probitas celebratur ubique,
Et laudem propriam ſibi quiſque affectat Honeſtum,
Vincat Honos, paſſim à ſummo clamatur ad imum.
Ille vides tranſtris quem pubes omnis abhorret
Nautica, flagitiis immanibus execrandum:
Ille, inquam, impurus latro, ſi querere cauſam
Supplicii aggrederis, mora nulla queretur, iniquo
Judicio Patrum, veræ virtutis Honorem
Remigio addictum, vitam & ſibi labe carentem
Dedecore affectam injuſtâ ſic lege fuiſſe.
Denique quàm vaſto tellus ſe porrigit orbe,
Quàm ſeſe immenſo protendit gurgite Nereus;
Centurio paſſim, Mercator & Aulicus omnis,

M

Cauſidicus, Sector, Caupo, fiſcique Redemptor;
Se rigidi clamant cultores ſemper Honeſti,
Uno metiri ſolitos ſua commoda Recto.
Sed ſi quando face admotâ propiore, quis illos
Intus agat ſtimulus, quo ſe ſe pondere flectant
Excutio, cunctos cœcâ ambitione furentes
Deprendo, pravos, fictâ virtute bilingues,
Tetrum animi virus ſpecioſo tegmine fuci
Velare aſſiduos; nempe his plena omnia gypſo,
Et dum quiſque ſui injuſto reſtagnat amore,
In ſcelus omne ruunt, fœdiſque erroribus ægri,
Mentis deluſæ pro Vero ſomnia adorant.
Scilicet hæc magni vita inſtar habere theatri
Viſa mihi ſemper. Mentito callidus ore
Quiſque ſubit ſcenam; nihil ingenuum; ecce colores
Arte ſibi adſciſcit præclaros ſordibus intus
Qui ſcatet. En fatuus ſapientem nemo referre
Non certat. Docti indoctus ſe ſyrmate inanis
Oſtentat. Magni loricâ indutus Achillis
Therſites circum fora obambulat; & cute pictâ
Pſimmythio, Charitum vultus affectat Erinnys.
Hæc malè ſed cunctis cedunt; ſed enim uſque recurrens
Naturæ exſuperat facies, & ubique triumphat.
Fruſtrà ceruſsâ & minio te pinxeris, ori-ve
Addideris larvam, rupto tandem obice, verus,
Quâ non expectes, frontis color emicat, artis.
Nec longùm ſimulatori mendacia proſunt.

Erumpunt vitia invitis; ſed & improba vulgi
Calliditas denſam tendit pervincere nubem,
Quâ ſe ſe involvens technas vafer hiſtrio nectit;
Nec fas lyncæum cenſuræ fallere lumen.
Nempè ſtylo metuenda, notat quodcumque malignâ
Mente doloque fuit tentatum ubicumque ſiniſtro:
Viſcera rimatur, tacitum penetrale lucernâ
Pervigil admotâ colluſtrat, & eruta profert
In medium veris ſignata coloribus index,
Quæ ſuperinjecto fallaci cortice luci
Eripere, aut oculis alienâ prodere formâ
Suaſerit inſano mens victa libidinis æſtu.
Sis probus in primis ſi vis probus uſque videri:
Quidquid in adverſum tendas, vaneſcet in auras.
Vis ſine conſilio, & cedet labor irritus omnis.
Quem te clam præſtas, talem te Vulgus habebit.
Nimirum ſors hæc mortalibus indita, nemo
Ut ficto dudum poſſit ſplendeſcere vero.
Nunc (viden') ille minis cui frons caperata ſeveris,
Cui triſtes oculi, & vultu diffunditur atro
Mæſtitia, arcanis tabes & fœda medullis
Vipereos ſenſus inſpirat, ut arte doloſus
Sanguineum tentat ſibi conciliare ruborem;
Et turpes riſu ſimulato abſtergere rugas;
Nequicquam vultum vafer emendare laborat;
Hunc fugit alma Charis, reſilit chorus omnis Amorum,
Et ridere jocus negat arceſſitus, agreſtem

Ipſe lepos illi faciem induit, aſpera ſævit
Et ferrugineâ rixatur fronte Venuſtas,
Quo magis hos nitidi vultûs ſimulator honores
Affectat. Si quid blandum crepat, ilicet audit
Vilis adulator; Venus illi evadit Erinnys;
Et totis, vel dum fucatur, ſenſibus exit
Ingenii virus; nam ſe genuina per omnes
Anfactus animi naturæ forma latentis
Expedit irrumpens, Veri & victoris imago
Neſcia celari, mediis lucem haurit ab umbris,
Exſuperatque, cahos quamvis ſuperaddere certes.
Sed me propoſiti immemorem divertere longè
Sentio; nunc repeto quæ prima exorſa canebam.
Nemo non ſpeciem pulchram admiratur Honeſti,
Numinis inſtar habet cui gens litat omnis; at illud
Cui ſic quiſque litat, meritoſque exolvit honores.
Quâ conſtet ratione, quibus ſe prodere tandem
Debeat officiis, nunc ſi potes, optime, amico
Pande, VALINCURI, certo & me dogmate firma.
Dum flammâ properat ferroque exſcindere gentes
Bellator, tumidus ſpecioſum jactat Honorem,
Cœptorumque ducem ſequitur. Se nomine eodem
Commendat magnos auri qui cogit acervos,
Et ſibi Pactoli tectis undare fluenta
Cernit adhuc cupidus. Ventoſæ audacia linguæ
Non agitat vanum niſi Honore premente Thraſonem,
Hoc titulo fraudes nebulo & perjuria velat.
Hæc ſpecies Vatem incendit, dum ſomnia chartis

Illinit, & ceras implet ridenda capaces
Calliope. Hac itidem deluſus imagine magnum
Se putat hic clarus majorum ſtemmate, multis
Creditor ante fores ſi mendicare coactus,
Cum parvis jaceat natis. Placet & ſibi pulcher
Impius hic ganeo, dum ſe ſe ingurgitat eſcis
Illicitis, ſtata ubi patrum jejunia ſanctum
Indicunt ventri bellum mentemque ſaginant.
Denique veſanus fortem ſe plurimus effert,
Cui verum violare decus, ſedet unica cordi
Gloria. Dic horum num quis cenſendus Honeſti
Sincerus cultor? Dii talem avertite mentis
Errorem! Quonam ergo decus ſeſe probat illud
Eximium indicio? Num vera hunc gloria clarat
Corda patrûm victor qui circumflectere norit
Eloquio? Vel cui moliri grandia ſuadet
Eximius fervens generoſo in pectore ſanguis?
Tam multæ occurrunt ſpecies. Hic rebus agendis
Dexter, conſiliiſque habitus non futilis author.
Strenuus ille manu. Venâ alter divite felix
Ingenii excellit. Pleno hunc Charis aurea cornu.
Mille bonis animi beat. Hic regit omnia nutu
Oceanum quâ ſol aſpectat utrumque recurrens:
Sed tamen ille Deûm donis opulentus, & orbem
Arbitrio victor qui temperat, ille trophæis,
Et ſpoliis toties populorum inſignis opimis
Sæpe merus Sinis eſt, execranduſque Procruſtes,
Eſſe poteſt & quod pejus ſonat; iſta nefandis

Laus eſt Tiberiis, diriſque Herodibus apta.
Ergo dic, ſodes, quodnam eſt decus illud Honeſti;
Cujus nimirum duci ratione modoque
Nos uno deceat quò cælum incœpta ſecundet?
Quidquid in adverſum Sanctevremonius oret,
Nunc mihi nunc Senecam tibi ſtat præferre, Petronî.
Orbe nihil toto ſpecies habet ulla decoris,
Si non pulchro æqui perfuſa colore niteſcit.
Unus nempe poteſt (iterum fas dicere) mentes
Nobilibus ſtimulis incendere ſplendor Honeſti.
Hoc ſine nec pacis nec belli induſtria quicquam
Laudis habet. Mars ipſe nihil niſi prædo ſceleſtus
Cenſetur. Quin, hæc latè inclyta gloria regum
Percellens gentes, Æqui niſi gratia formam
Et decus adjungat, glacies ceu futilis icta
Diſſilit extemplo, & vano ſplendore fariſcit.
Quid tibi bellator furiarum percitus œſtro,
Qui centum populis ferro Vaſtator & igni,
Milite cum ſœvo, cladem intulit, atque ruinâ
Crudeli involvit magnum ſicarius orbem,
Littore ab Ægeo extremos graſſatus ad Indos?
Quid tibi (dic inquam) conſebitur ille tyrannus?
Quo titulo inſignis, niſi quo dirus Peripheta,
Et cujus lethum vidit Cerealis Eleuſis?
Omnia par illis proles veſana Philippi;
Diſcolor hoc uno, quod prædo immanior oram
Non unam, aſt orbem Macedo infeſtarit Eoum.
Oppreſsâ domuit qui libertate Quirites

Julius, haud uno celebratur maximus ore,
Quam temerè! Quid enim? Fiat ſi quæſtio lege,
Excutiatque reum Prætor motâ integer urnâ,
Quo poterit furias ſceleratus jure tueri?
Sane Reinio dicat ſi judice cauſam,
Huic ſimilis prædo, vix cœlo aurora rubebit
Tertia, cùm ſævi præclarus Martis alumnus,
Et caput & lauros ferali pegmate ponet
Truncatus. Magni fuit hæc ſententia regis
Aurea, digna cedro: quantum te geſſeris Æqui
Cultorem, tantum tibi veræ accreſcere laudis.
Quid mihi tu Syllæ jactas Mariique triumphos,
Et quos Romanâ Mitridates clade ſuperbus
Rettulit? Accedant his grandia nomina mille,
Genſericus, Tamerlanes, ferus Attila, Reges
Si lubet innumeros adjunge, duceſque tremendos.
Ille mihi cunctis ſublimior ire videtur,
Qui pacis ſtudiis immerſus vixit Athenis,
Juſtitiæque tenax æquo pede ſemper Honeſti
Inſiſtebat iter, decora omnia ſimplice recto
Definire catus. Nimirum hîc unica vitæ
Laus æquo fulgere mihi & conſtare videtur.
Hoc cultu niteant in terris cuncta neceſſe eſt.
Quin, ſi quis nobis quo pacto arrideat uſquam
Improbus, hunc Æqui pulcher color afflat amorem.
Unius illecebris Æqui mortalia certò
Pectora vincuntur, nec quemquam injuſtus iniquum
Ferre poteſt; & cui minus eſt hæc candida cordi

Integritas, rigidus cenſor plerumque, ſeverâ
Vult mores aliis niteant probitate decori.
Imò, crede mihi, nemo eſt adeo improbus, in quo
Non aliquis pulchri ſcintillet fulgor Honeſti:
Non multis dubios regit hæc fax prævia ſenſus,
Nec Calmartini cuncti ſumus, aut Bignones,
Aut Dagueſſæi. Tamen & regionibus illis,
Torpet ubi Scythicis concreata paludibus unda,
Et gens dura virûm latè omnia littora prædis
Aſſiduis infeſtat, Arabs & quâ vagus errat,
Furta latrociniis cumulans, ibi crimine partæ
Diſtribuuntur opes trutinâ Latronibus æquâ,
Juſque ipſum ſceleris mercedes dividit illis.
Sed veri puros adeamus denique fontes.
Aſpice jejuno quem pectore inedia pallens
Commendat fictæ Virtutis imagine, fucum
Affingens ori; famæ captator inanis,
Quid ſeſe excrucians demum lucratur? Abhorrent
Hunc omnes Superi verâ probitate carentem,
Nuſquam divini te pagina codicis urget,
Ut ſic immoriens ſtudiis, jejunia crebra
Dejecto affectes nequicquam luridus ore;
Sed paſſim inculcat, ſimplex & candidus eſto;
Et cunctis vitæ officiis præluceat Æquum.
Diſtat enim verâ pietatis ab indole ſæpe
Longius hæc ſpecies, mihi credite, quam Polus Auſtro
Proximus, à gelido diſtans Aquilone recedit.
Nec mihi fœdus adhuc tamen hîc cum plebe Molinos
Pingitur

Pingitur impurâ, non execrandus adulter,
Molerii pleno quem luſit Muſa theatro;
Sed quem judicii malè ſanum turbidus error
Præcipitat tenebris involvens, atque ſiniſtram
Urget inire viam, dum candida ſemita dextrum
Pandit iter; Chriſti ingenuos licèt inter alumnos
Incedat niveo coopertus vellere, Chriſtum
Moribus eiurat tamen, & veſtigia longè
Inſiſtens diverſa, procul Veri errat & Æqui
Simplicis à formâ abſcedens; ſcelera ipſa nefaſque
Hoc ductore placent, dum cultum his perfidus addit
Virtuti ſimilem, palpum Magnatibus uſque
Obtrudens ſeſe inſinuat, vitiiſque refertos
Demulcens, ſimul indulſit Sacra cuncta ſceleſtis
Prodigus, ad cœlum ſic tendere poſſe catervâ
Succinctos ſcelerum putat, & virtutis inanes.
Ille mihi princeps veræ pietatis adulter.

Denique quo certis currat ſententia metis,
Sic ſtatuo. Solidi tibi certa patebit Honoris
Semita, virtutis genuinæ calle reperto,
Felix &, pulcher Superis candore placebis,
Si moliris iter Recto duce; & auſpice Vero
Incedens ſimplex, rationem juſque ſeverus
Interpres tibi præſcribis, mentemque benignus
Oſtentas aliis placidam; ſic dignus amari,
Incumbunt vitæ quæ plurima ſemper obibis
Officia, & referes ſpecioſa Epinicia miles.

Sed tamen hîc vereor ne Vulgus inertibus arctè

Addictum ſtudiis, hæc tanquam expertia frugis
Dogmata ſuggillet. Tanti ſtat quærere cauſas
Dedecoris: bonus auſculta dum fabula cultu
Ornatur tibi frugifero & ſub cortice dives.

Aurea florebant ubi quondam ſæcula, Rege
Saturno: Integritas niveo tum flore, ſororque
Juſtitia humanas res æquâ lance regebant.
Proſpera conſiliis Divarum cuncta fluebant;
Et totus gemino hoc florens ſub ſidere mundus,
Tranquillos ſoles felici pace trahebat.
Nemo ſibi dives civis, ſed ſorte beatus
Communi, nullo diviſos limite quiſque
Exercebat agros. Orbis domus omnibus una.
Tum nulla eximium damnabat teſtula civem,
Nec Janſeniſmi triſtem ſub nomine mulctam
Formidabat Honos, proprio ſed ubique decore
Eximius, ſibi erat pretium, nec munere dives
Externo, gemmis fulgere ſtudebat & auro.
Diſcolor Aſtreæ nuſquam, nec diſſonus, arcto
Fœdere ſervabat ſanctæ præcepta ſororis.
Sed ſemel à Superis cælum arceſſitus in altum,
Eheu! ſidereâ longùm ille moratus in aula eſt.
Interea inſignis præſtanti corpore Prædo,
Os humeroſque Deo ſimilis, ſic tempore felix
Demum captato, cunctis mortalibus aſtu
Irrepens, paſſim ſe Verum jactat Honorem.
Scilicet egreſſum cœlo ſe clamat habenis
Tractandis habilem imperii, nec deſore vires

Suſtentare queant tantæ quæ pondera molis.
Inſuper humanæ quando unum dicere genti
Jura parem cernunt, ſimili ratione decere
Cunctis terrigenis contendit ut imperet unus.
Talibus inſidiis perjurique arte tyranni
Credita res, captique dolis & fraudibus omnes
Acceſsêre jugo domitâ cervice cruento.
Tunc irriſa Themis, paſſimque exploſa, malignos
Ut cætus hominum fugeret, plagaſque ſuperbi
Victoris; vix nacta ſpecum inter luſtra ferarum
Devia. Confeſtim ſolio ſublimis in alto,
Totus collucens gemmis & murice cinctus
Sidonio ſedet Impoſtor; circum undique regem
Stant diræ peſtes humano ſanguine paſtæ:
Imprimis torvo truculenta Superbia vultu
Virtutem pede proculcans, Luxuſque voraci
Ingluvie populator opum, Faſtuſque feroci
Triſte ſupercilio minitans, elataque vanis
Ambitio fumis, cæciſque furoribus amens
Cervicem cœlo veſana Protervia tollens
Indomitam, Regem Phœbeâ fronde coronant.
Obſequiis creſcit Prædoni audacia, thure
Ebrius inſanit, noſtrâ malè clade triumphans.
Dein par infelix, mora nulla, Meumque Tuumque
Irrumpunt fratres ubicumque nocere gemelli,
Et lites ſerere arguti, fera bella, tumultuſque,
Iraſque, inſidiaſque & crimina noxia toto
Orbe ſerunt, Ducis imperio; ſic omnia triſti

Diſſidio terris Juſque atque Injuria turbant.
Qui plus fraude poteſt & viribus, huic quoque prædam
Fas tribuit, ſpoliiſque & opimâ clade propinqui
Victor ovat. Latro exultat felicibus orſis,
Et legum informi (prout ſuadet dira libido)
Codice compacto, miſeris mortalibus afflat
Vipeream mentem, & malè ſanæ litis amore
Faſcinat invicto. Pietas nec jam ulla reclamat
Adverſum nitens. Sic incantata nefandis
Artibus, horrendum! ſe gens humana cruore
Paſcere non horret proprio. Sibi quiſque cruentis
Imo in corde notis furiarum hoc nobile dogma
Barbarus infigit, Morere, aut ſtrictoenſe Trucida.
Ferrea tunc eheu! tunc vero ſub Jove, mundo
Gens toto exorta eſt. Fratrem crudelis aperto
Marte petit Frater: mucronem intendere Patris
In jugulum Natus, plenæque in viſcera partu
Conjugis haud dubitat Conjux. Tum dira tyrannos
Regnandi peperit ſitis, incenditque furore.
Extremum tunc & Bellator ad uſque Canopum
A Tanaïs ripâ egreſſus, victricia ſigna
Intulit, & latè terris incendia ſparſit.
Unica tum virtus laus bellica cœpit haberi.
Felix improbitas ſucceſſu turgida læto,
Deſiit eſſe ſcelus. Toto Mars impius orbe
Sævit, & inſano gentes quatit uſque fragore,
Horror ubique, faceſque volant & ſemina Belli.
Audiit hos tandem cœleſti ex arce tumultus

Verus Honos, atque extemplo delapſus ab aſtris
Numine terrigenas miſeros inviſit amico,
Et ſpatia emenſus terrarum, cuncta ſerenus
Luſtrat, ubique ratus ſolamen dulce malorum
Ferre. Sed heu! reducem jam nunc admittere nemo
Dignatur Laribus, micat importunus ubique,
Et vanas jactat virtutes diſcolor, omnis
Hunc populus furcâ & crudeli ſcommate pellit,
Utque planum allatrant paſſim. Probra mille coactus
Deinde pati & ſævi ludibria ferre Tyranni;
Tandem dedecorum ſatur, & ſervire latroni
Pertæſus, ſociamque ſibi, mora nulla, Sororem
Aſtræam adjungens, mortales deſerit, ægros
Permittens furiis, quando ſpes nulla medendi;
Sic Themidis ſpoliis & Fratris clade ſuperbus
Germano ſimulatus Honos, ſibi deinde trophæum
Erexit, cæcâque hominum res ſorte gubernans,
Orbis fata regit, ſemel ex quo extinguere Recti
Semina, faſque ſuo cœpit decernere Victor
Arbitrio: fors, & quæ nunc tibi carmina fundo,
Suggerit ille mihi dominator ſenſibus imis
Occultus. Verùm quamvis mihi factus Apollo,
Hos numeros Muſæ afflaſſet, tamen haud minus illud
Hinc oritur, veri fons eſt Deus unus Honeſti.

APOLOGIA
SATIRÆ XII.
AB IPSO AUTHORE OPERI PRÆFIXA.

ETSI planè noveram nihil à me hactenus operis editum in publicam lucem exiiſſe, quod non fuerit ſingulari favoris benevolentiâ exceptum; tamen poſtquam hæ meæ lucubrationes ultimùm editæ ſunt, decreveram omni Poëtico operi ſuperſedere. Non diffitebor interea me quinque circiter ab hinc annis nonnullas meas ludicri otioli horas poſuiſſe in componendâ ejuſmodi Satirâ quæ illas malitioſas Amphibologiæ technas impugnaret. Quod opus nemo omnium quibus illius legendi copiam feci, judicavit cæteris meis operibus ullo modo inferius. Eam ſcrinio curâ ſingulari preſſam, tantum abeſt ut publici juris facere cogitaverim, ut ne mihi quidem in mentem venerit poſſe ullatenus eam me vivo è latebris ſuis erui. Sic inpoſterum deliteſcere ſollicitus, & premendi oblivione nominis mei æque ſtudioſus ac me geſſeram antea famæ captandæ cupidum; tenore vitæ non improſpero nec injucundo (ſi veterem infirmitatis habitum exceperis) ocioſus agebam, cùm repente fama omnium ſermone percrebuit ſpargi in vulgus ſuppoſito mendaciter no-

mine meo, multa planè inſulſa diverſi generis ſcripta, præcipuè Satiram adverſus Jeſuitas æquè odioſam ac inficetam, in quâ univerſam ſodalitatem probris atrociſſimis iiſque immaniter ruſticis proſcindebam. Non potui, ut ingenuè loquar, hac calumniæ impudentiâ non vehementer commoveri. Etſi enim cordatus nemo non facile agnoſcat hunc venæ deſperatiſſimæ fœtum nullatenus Bolæi Minervæ eſſe conſanguineum: tamen, ut verum fatear, non levi me injuriâ affectum credidiſſem, ſi quis me vel ſimpliciter inſulſus, ita deſipuiſſe putaviſſet ut tam inſulſi operis autor eſſem. Ergo diligenter mecum ipſe cogitavi quibus potiſſimum modis hanc mihi tantâ malignitate inuſtam infamiæ labem abſtergerem. Nihil mihi demum conſultius, & ad fraudem diluendam accommodatius viſum eſt, quam ſi Satiram à me contra verſutas Amphiboliæ tricas compoſitam typis edi & vulgari curarem. Quidni videlicet vel ipſi illi quamlibet puſilli ingenii homines, ubi inter ſe compoſuerint hunc noſtrum etiam affectâ ætate purum & elegantem dictionis florem, & illius putidi operis humi miſerabiliter ſerpentem ſtyli formam; quianam, inquam, ſapere illi non advertent, & oculorum ludibria non excutient? Inſuper hac me cautione tueri in edendâ meâ hac Satirâ videlicet poteram, ut præfarer in eum modum quo perſonæ fucus aboleretur, & maligni erroris nebula quæ hactenus illuſit, evaneſceret, quod mihi plane videor hoc proœmio conſecutus. Quod ſupereſt, operæ pretium fore duxerim, paucis diſſerere de ipſo opere cujus cauſâ hæc ſum præfatus.

Incredibile dictu quo Poëtici furoris æſtro, quâ ſtomachi commotione percitus, quo caſu incenſus id aggreſſus ſum.

In meo ruſticanæ villæ horto deambulabam mente agitans aliquid Poëmatis quod condere mihi propoſueram adverſus præpoſteros noſtræ ætatis cenſores. Jamque aliquot verſus ſatis ad guſtum meum fude-

ram. Ulterius tendere cogitantem à ſcribendo deterruit quoddam inter illos verſus inſigniter occurrens Amphibologiæ vitium, quod extemplo emendare conatus, ſenſi me inanem operam ſumere. Hoc impedimento abſterritus, quin & bile intra jecur fervidum æſtuante inardeſcens, illud meum homonymiæ corrigendæ, & Poëmatii quod contra cenſores informare cæperam perſequendi inſtitutum deſerere coactus, animum & cogitationem rabido quodam veſaniæ genere ſubactus repente contuli ad contexendam Satiram quâ omnes ulciſcerer injurias quibus me, ex quo huic ſcribendi ſtudio primùm vacare cæpi, non deſtitit exercere illa amphiboliæ indomita procacitas. Quàm arduum opus in argumento tam jejuno Gallicis numeris tractando ordirer, facile deprehendi. Ecce, ubi primùm ſcribere aggredior, mihi moras injicit & ſtylum coercet non levis difficultas, nempe quo genere androgyna illa vocis ſpecies mihi appellanda ſit, quando teſte eximio illo Vaugelaſio, non pauci iique peritiſſimi Scriptores marem & fœminam ut plurimum faciunt. Confeſtim tamen fœminam, ut uſitatior eſt, affectavi. Tantopere abfuit, ut ille me ſcrupulus angeret, ut & mihi putarem non infeliciter opus ceſſurum, ſi hanc ipſam difficultatem mihi non inficeto joco facerem Poëmatis exordium. Hoc animi motu ceu thyrſo quodam pungente incitatus ad ſcribendum me contuli. Primum quidem quinquaginta, aut, ut multum, ſexaginta verſus condere deſtinaveram, ſed ſubinde materiâ inter manus ſupra modum ſuccreſcente, æſtum animi quem illa ubertas incendebat, ſecutus, prope ad tercentum & quinquaginta verſus, opus productum eſt. Quâ gratiâ laborem illum noſtri homines excepturi ſint, incertum eſt. Certè non eſt animus hìc, quemadmodum nec aliàs in cæterorum meorum operum proæmiis fuit, ullas blandientis eloquentiæ artes adhibere ut favorem emendicem: hoc ſolum auſim affirmare, huic operi componendo nonminorem ma-

diligentiam adhibuiſſe quàm aliis antea omnibus attulerim. Verum eſt tamen quod meâ intereſt ut Jeſuitas admoneam, nempe dum æquivocas aſtutias inſector, nullatenus me in animo habuiſſe hanc ambiguam ancipitis verbi formam iis finibus coercere quibus à Grammaticis arctari ſolet. Horum ſenſu nil niſi ambiguitas verbi ſignificatur. Sed ita Amphiboliam uſurpavi ut vulgus hominum intelligit, & appellat captioſas omnes argutias, & ut ita dicam, biformes vocum, ſenſuum, dictionum ſpecies, demum omnia hallucinationis ſchemata quibus humana mens in ſuo rerum delectu non infrequenter decipitur. Hac nimirum ſententia imbutus, Idololatriam partum eſſe Amphiboliæ genuinum aſſerui, cum turpius & infelicius hallucinari nequeant homines quam Dei loco habere æs, aurum, marmor. His addam aliquid gravioris momenti, nimirum quando divinæ Providentiæ inſcrutabile judicium (quemadmodum in hac noſtrâ Satirâ non obſcurè demonſtratum eſt) non aliam ob cauſam paſſa eſt, homines in tam horrendæ cæcitatis errorem impingere, quàm ut & ipſi pœnas darent diri illius facinoris quo primigenius parens fallacis Satanæ pollicitationibus morigerum ſe geſſit; pronum mihi fuit inde certâ & invicti roboris demonſtratione colligere, Idololatriam parentem habuiſſe, illam perfidæ plenam malignitatis Æquivocationem. Quod cum ita ſit, quâ parte mihi ulla poſſit cenſuræ nota inuri, non video, præſertim ubi conſtat meum hoc genus ſcripti merum eſſe Muſæ jocantis ludicrum, quod qui legitimo Geometrices pede metiatur, ridiculus ſit.

Specioſius aliquid & gravioris momenti obſtrepit quo reprehenſioni obnoxius quibuſdam videri poſſim, ubi tam multa laxioris Ethices placita, ultima opuſculi mei parte exagito; ſi quidem, aiunt, illa morum dogmata, cum à multis non obſcuri nominis Scriptoribus celebri in luce tradita ſint, ea qui vituperii nigro ſale conſpergere audeat, videri poteſt aliquatenus

graviſſimos Theologos inſectando, Chriſtianorum vulgo offendiculi anſam præbere. Levis eſt operæ has obtrectationum voculas refellere. Ac primo loco notandum eſt, earum quas carmine impugno propoſitionum nullam non ſemel hactenus ab omni Eccleſiaſtico ordine, ſed & non ita pridem à duobus inter ſummos Pontifices ſanctitatis & doctrinæ laude maximè conſpicuis, Apoſtolicæ cenſuræ norâ fuiſſe inuſtam.

Dein ſic ſtatuo. Quandoquidem exemplo ſanctiſſimorum Pontificum, Chriſti in terris vices gerentium, nominibus peperci horum Theologiæ antiſtitum, quorum famam, ut nonnulli jactant, videri potuerim probris laceſſere; quando & palam profiteor penes me non eſſe quidquam adverſus eos ullo modo decernere, quorum quidem nec vacat nec fert animus opera perlegere, quod facto tamen maximopere opus eſſet ad ſententiam ferendam de illis capitibus quorum nomine rei accerſuntur ab adverſariis qui & ipſi in errorem impegiſſe videri poſſent perperam interpretando eadem illa doctrinæ capita quæ in publicam lucem, è locis ſuis eruta ut corruptelæ labe infecta adducunt.

Qui ita ſentiat, nunquid non ſummopere iniquum & à rectâ ratione alienum eſſet cogitare, illum in ullius offendiculi periculum adducere Chriſtianorum quempiam potuiſſe, dum quod ſumme ridiculum eſt, riſu & cachinnis perſequitur, hoc eſt dum ſuggillat mirificè abſurdas propoſitionum captiones quas æquius ſit ſibilis explodere quam argumentis refutare.

Hæc meâ causâ hactenus dicta ſunto. Quod ſi in poſterum ex Theologorum ordine reperiantur ita affecti, ut judicent mihi propoſitum fuiſſe eos contumeliæ probro afficere dum hæc opinionum portenta exagito; dicam audacter, quod ita de me ſecùs quàm decet ſentiant, illam parum æquam mentem eſſe pravis artibus adſcribendam illius monſtroſæ Amphiboliæ, quæ in multiplicis contumeliæ quâ eam inſector ultionem, ad cauſam ſuam adducere nititur Theologos, hocque

illis ludibrium immittere ut credant me cogitaſſe quod eſt & fuit reverâ à meâ mente uſquequaque alienum, & dixiſſe quod dicere nunquam animum induxi.

Satis multa profectò, imò nimis multa hactenus hæc à me dicta fuerint in causâ tuendâ hujus opuſculi quod mihi in precio non ita magno habendum videtur.

Sed ante nihilominus quàm dicendi in hoc argumento finem faciam, inſtituti mei ratio imò neceſſitas poſtulat ut Lectori patefaciam, me in inſectandis (quod hîc facio) tam multis illis erroribus, non ita mihi morem geſſiſſe, quin (ut in edendâ ante decem annos meâ divini amoris vindice Epiſtolâ feceram) ad judicium confugerim omnium quos noverim virorum doctrina inter eruditos præſtantium, ſed & (quod meâ maximopere intereſt ut omnibus notum ſit) hoc quidquid eſt operis, ſubjecerim peremptoriâ ſententiâ judicandum Eminentiſſimo Cardinali NOALLIO. Ille ſcilicet ut eſt æquè eruditione ac dignitate ſummus, unus omnium maximè & jure quodam ſuo proprium id ſibi vindicare poteſt, ut mihi in hoc argumento & credendi & ſentiendi normam præſcribat. Tres totas hebdomadas vir Eminentiſſimus penes ſe habuit hanc ipſam Satiram, & precibus meis enixè exoratus ut legendæ ſedulò incumberet, tandem ſtudio arrecto multoties perlectam & excuſſam mihi inter manus repoſuit ſingulari genere laudis commendatam, ſanctè dejerans nihil in eâ ſibi acrius intuenti occurriſſe quod reprehenſionem meritò poſſet ullam incurrere, præter minutum quoddam verbulum, quod ilicet liturâ induxi, & meliore formâ ad guſtum ſanctiſſimi Antiſtitis emendavi. Hujus magnificæ, & quæ ſecurum omnino præſtare poſſit, commendationis fiduciâ animos tollens, mihi id ſumere auſim, hujus opuſculi doctrinam eo integritatis flore eſſe inſignem, ut neminem adverſarium habere poſſit niſi qui ſe præpoſtero conſilio in diſciplinam tradiderit

miſerabiliter argutæ multitudini Sophiſtarum, quibus virus erroris in mendacis Satanæ ſcholâ hauſti ita ſapit, ut perpetuò ſe gerant captioſo illi æquivoco æquè addictos ut reverâ ſunt in ſuâ contra Deum, contra & omnem recti ſenſus ac veritatis normam, tuendâ protervia pertinaces.

Bolaus jam propè ſeptuagenarius undecim menſes in elaborandâ hac Satirâ, tres annos in emendandâ poſuit.

SATIRA XII.

NAm cui te generi adſcribam ? quo te, Improba, ſexu
Cenſebo geminâ vox fronte accommoda fraudi,
Androgyno male fœta ſatu, quam Franca biformem
Lingua parit, nunc mas, nunc fœmina (Vatibus uti
Nam licet ambiguâ nullo diſcrimine formâ ?)
Eja ſiles; procul hinc ſceleriſque dolique repertrix,
Sub vultu dubio tegis artes mille nocendi;
Horrent te ſcopulum Scriptores; nemo legentum
Occurſare tibi non odit. Cortice vano
Dum ventoſa tegis mendacia, vera videri
Rectaque poſſe putas. Tu Muſæ occurris ubique
Offundens tenebras, geniumque errore maligno
Implicitum ludens, paſſim mihi turbida nullo
Ordine verba feris, dum mens ambagibus hærens
Anxia, ſe ſenſûs nequicquam damnat inanem.
Hinc fuge, luſcorum te te ambit cura procorum,
Gratus erit pravis hic cultus adulter ocellis;
Huic te adjunge choro, nec craſſo ſplendida gypſo;
Calliopes decus ingenuum infice. Nempe ſtyli me
Candidus & ſimplex puroque ſimillimus amni

Claravit nitor inprimis, ſinceraque caſto
Vena tenore fluens, capitaliter hactenus odit
Compoſitum fuci illecebrâ fallace decorem.
Ergo fuge importuna; imò hîc ſubſiſte, furorem
Mens furit inſolitum & ſtimulis Deus acribus urit
(Scilicet ut bis ſex numerentur deinde ſorores)
Frugiferæ extremum Satiræ tentare laborem,
Et te mille atris ſuccinctam pingere monſtris.
Ut vidi, ut ſurgunt animi mihi. Macte age, Vates
Incendor, nec me tardum facit ægra ſenectus,
Nec capiti nix ſparſa, ſeni tumido hepate bilis
Splendet adhuc, calidusque agitat præcordia ſanguis.
Sed quò me rabidæ ſtimulat veſania mentis?
Fors ſatius fuerat tinctam ſale, ut antea, Muſam,
Ingenuos agitare jocos, & mollia blandam
Ludicra ſectari, quàm ſic mordace libello
Urere te, & ſævis quatere uncta cruoribus arma.
Quin te, inquis, Benſeradio ſimilem, Improbe, præſtas?
Præmia certa feres, fortunatuſque laborum
Semper eris. Rectè. Nempe hoc authore triumphans,
Plebem, ſceptriferoſque Duces, maleſana canoris
Decipiens nugis, quondam punctum omne tuliſti,
Frivola jactando ſeu Pindo & Apolline digna.
Nunc aliud ſæcli genius ſapit, illa jocandi
Frigida luxuries, & inanis tinnula linguæ
Gratia, deliciæ Procerum, quas circulus omnis,
Nympharumque chori paſſim uſurpare ſolerent,

Nauſea nunc ſtomacho fiunt mera, quas nec inepte
Garrulus affectet Balathro. Femoralia ſunt hæc
Braccatæ gentis, Matronarumque volutæ
Cyclades ingenti gyro, latéque rigentes,
Aut tubulis collum rugata lacinia cingens.
Nec ſua Vecturo jam prodeſt aura; placere
Deſiit arguti ſermonis forma, facetis
Ambiguum in morem malè concinnata figuris.
Ille, inquam, ingenio ſuperis & divite venâ
Par Vecturus, amor Muſarum, nectare Pallas
Quem totum imbuerat, cui melle ſuavior hyblæ
Lingua, tuis ſcriptor malè credulus artibus, eheu!
Arguto ſemper verborum ſchemate ludens,
Non niſi quæſito mentem ſub cortice prodit,
Et dedignatus ſimplex nuduſque videri,
Sinceram Veri obſcurat caligine frontem,
Et ſe vulgari commendat acumine vanus.
Sed quantum ille viri ſcriptis inſignibus error;
Et ſine more furens acuendi cuncta libido,
Exitii attulerit, non eſt jam quærere promptum.
Muſa mihi clades memora quibus obruit orbem
Obliquo rectum intricans ænigmate ſenſum
Ille tuus Suadæ fucus. Fons ille malorum,
Quæ primâ Vates ab origine cuncta retexam.
Mundus adhuc impubis erat; vix terra fretumque
Aërei tractus, & cæli lucidus ignis
Unâ voce fati, cum tu verſuta doloſo
Verborum aucupio, & pomi fatale micantis

Illecebrâ captum tua ſub juga mittis Adamum.
Nempe ratus (mentem abſtuleras, furialis Enyo)
Se, ſimul ac vetitum carpſiſſet ab arbore pomum,
Cœlicolûm Regi ſimilem omnia deinde futurum,
Ingenioque parem æthereæ contendere genti.
Nec mora, vim fati proprio diſcrimine vecors
Expertus, nova nulla ſuæ compendia ſorti
Acceſſiſſe miſer ſenſit, niſi quod ſua lynceus
Dedecora, éque luto compactum corpus, inerme,
Nudum adſpexit, inopſque animi, victuſque pudore
Quæſivit latebras. Sitis inde fameſque cruento
Urgent immites bello, quocunque ſub axe.
Innumeris donec compages denique tota
Diſſiliat confecta malis, & ſpiritus æger
Luctatu vario feſſus de corpore migret.
Sic gentis noſtræ exitium miſerabile, princeps
Laus tua, primitiæ obliqui livoris & atræ
Nequitiæ, luctus, dolor, & mors ipſa fuere.
Sed licet infelix caſu concuſſus acerbo
Mortalis gemeret; tamen impius ecce Nepotum,
Te vires præbente, furor conjurat olympi
(Horreſco referens) Dominum detrudere regno.
Non tulit Omnipotens Genitor ſcelerata nocentum
Conſilia, & ſtimulis accenſus vindicis iræ,
Infauſtam ſtatuit penitus ſubmergere aquarum
Gurgitibus ſtirpem, & pelago abſorbere refuſo.
At prius Oceano quàm ſic laxaret habenas,
Et totas Hyadum terris invergeret urnas,

Te

Te reptantem aſtu, & ſpiras ſerpentis agentem,
Deceptus formâ Noëmi filius arcâ
Incluſam eripuit letho. Non degener artes
Inde tuas repetens, mortalia corda recenti
Diluvii quaſſata, & adhuc pavitantia monſtro;
Errorum laqueis & fraudibus irretita
Viciſti, latéque ferens mendacia terris,
Omne genus larvas, peſtes, tenebraſque creaſti,
Et Deus ipſe ægris per te eſt ſubductus ocellis.
Terrigenûm ſtupidas paſcunt deliria mentes,
Et cœlo impietas ſuperûmque oppedere Regi
Auſa, furens cœpit bacchari. Non modus. Illi
Cæca ſuperſtitio comes, atque inſcitia Veri,
Aſſiduâ famulantur ope, infandiſque per orbem
Dogmatibus ſparſis contagia moribus afflant.
Protinus invadit ſcelerata audacia cunctos
Mortales. Paſſim miſeri ſibi vana per artem
Conflavere Deûm ſimulachra. In mille figuras
Argenti ducunt liquentia flumina & auri.
Quiſque ſibi picti fingit ludibria trunci,
Aut ſaxum exſcindit, cui thurea poplite flexo
Dona ferat, poſcens animi bona cuncta, ſalutem,
Robur, divitias, & lautæ præmia vitæ.
Niliacæ gentis pudet hîc memorare furorem.
Hîc aris coluber micat aureus, hîc canis hirco
Proximus effulget gemmis, crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin,
Sacris rite colens. Habet & ſua templa per urbes

Cæpe frequens, porrum, & ſiliquâ quaſſante legumen.
Hos habet ille Deos populus, quos putre creavit
Hortorum ſtercus, plenâ hos veneratur acerrâ,
Et votis onerat, placeat dare proſpera fata.
Mille dehinc edens fallacia ſigna, doloſam
Vatibus afflaſti mentem, fraudiſque malignæ
Conſiliis implens, fudiſti oracula paſſim
Circuitu ambiguo, & gemino malè prædita ſenſu.
Sic proba, ſic mendax ſimul, uno vera canebas
Ex adyto, pariterque dolos impunè, tuaſque
Normano tingens ſortes aſtuta colore,
Et Regum ſpolia, & populorum dona vorabas.
Per te gens hominum ſic veri luminis expers
Erravit, nec ſe caligine merſa profundâ
Amplius erexit; ſed quo ſecurius erret,
(Proh facinus!) deinceps virtuti fraus tua nomen
Indidit & ſpeciem vitii velut indole verſâ;
Et vitio cuique, ut cæpit ſplendeſcere cultu,
Eſt pulchræ laudis nomenque decuſque profano
Ore datum vulgi. Quem flore modeſtia blando
Commendat, velut ignavum deſpectat ubique
Inſanis inhians plebes fulgoribus: & cui
Ingenuus candor vultu micat exporrecto,
Agreſtes inter numeratur judice eodem.
Contra cui pectus cæcâ ambitione, vel irâ
Indomitum furit, hic fortis cenſetur, & acer,
Excelſuſque animi. Pariter quem nil pudet, ille
Laudatur celſam ceu pulchra audacia frontem

Condecoret. Dolus eſt cautæ prudentia mentis,
Nec quiſquam laudes heroum & præmia pravi
Judicis arbitrio ſperet, niſi prædo cruentus,
Quem furiis agitat ſcelerata libido nocendi,
Aut Rex ventoſo quem tollit gloria curru,
Ut legum tutorem, at iniquâ mente tyrannum,
Aut felix latro, quem jactant Martis alumnum.
Improba calliditas ſic demum doctâ nocere,
Præcipuo incubuit ſtudio, ut Themide omnibus oris
Exule, funeſtâ caligine jura ſilerent
Obruta. Judicibus neu quid ſapientia ſolers
Ferret opis, denſam perrumpere ſicubi nubem
Tentarent, claræ per te nox addita luci;
Nil non ambiguum, nodos en ſcirpus & ipſe
Induit, eſt geminâ vox omnis prædita formâ.
Ecce virûm mentes rapit irremeabilis error,
Dum facilem per certa petunt compendia metam,
Arceſſuntque ſibi tenebras indagine legum,
Interioris ubi ſcrutantur viſcera cauſæ.
Quò ſenſus ſeſe magis expedit, hoc minus illum
Apprehendunt; medio nigreſcunt omnia ſole,
Ipſe fit & curis interpretis arduus author.
Inſuper ipſa ſuos tibi vendit Suada colores,
Simplicis & Recti, concors tibi, pellice linguâ!
Nativum florem inceſtat: Jus criminis inſtar
Plectitur; Eſt Vero falſi quoque nomen inuſtum.
Sic per te gens noſtra ſuos amiſit honores,
Dumque tuo ductu ſe cernere credit acutum,

Nec fas, nec verum decus ægris lucet ocellis;
Nil ſapit, officiis & inutilis omnibus, excors,
Atque affixa ſolo vivit cœleſtium inanis.
At Judæa tamen (præſens id Numinis aura
Indulſit) pulchri aſſeruit ſibi ſemina Recti.
Angulus hic unus terris hæc munera fovit;
Nil alibi ſanum mortalibus, integra nulla
Pars animi, ratio delirat, deſipit omnis
Gens hominum. Quid enim virtus niſi nomen inane
Nos fugiente Deo? Quin & Sophus ille, profana
Quem decus egregium ſibi Græcia venditat, omni
Cantatus populo, propius ſi teſte lucernâ
Adſpectes, agedum, quid erit niſi vile probroſo
Mancipium addictum ſceleri? Sanè undique pulchræ
Virtutis ſpecie fulgebat candida vitæ
Integritas, tamen ambiguam ſibi fecit amator
Pulchri Cliniadæ famam *. Planè id tibi certus
Autor ego tueor; ſimul ut tua ſub juga fœdo
Corruptos cultu mortales arte nefandâ
Induxti, tum peſtiferis erroribus ægros
Nil ſanâ ratione, nihil non tabe malignâ
Infectum, ipſius Sophiæ geſſiſſe magiſtros.
Scilicet ille Virûm faſtu tumefactus inani
Spiritus, atque ſui mens ebria ſemper amore,
Vel dum virtuti incumbit, contagia ſervat
Et maculas vitii, peccant vel recta gerentes.
Quò tamen eluerent tot tabes, & ſua vincla

* Alcibiades erat Cliniæ filius.

Excuterent miſeri, Deus en Deus æthere ab alto
Advolat; humanos ſuperûm Rex induit artus,
Et ſe ſe noſtræ ſubmittens omnia ſorti,
Nos opibus propriis ditat. Tunc impius error
Arte tuâ inductus terris, larvæque fugantur,
Omnigenûmque Deûm portenta, hoc numine victa
In Phlegethonta ſuum remeant. Quin Delphica laurus
Aruit aſpectu ſupremi Regis, Apollo
Ipſe lares, tripodaſque, & nubibus æmula templa
Deſeruit; ſua nec clarant oracula Delon
Amplius, adventum ſenſerunt omnia Divi
Vindicis. Hîc cæco lux reddita; qui male fultus
Imparibus talis ibat, pede jam ambulat æquo.
Sed tua mox contra ſcelerata audacia bellum
Incendens, vulgus, Reges, legiſque peritos
Divinæ, Myſtas, Phariſæos dira venenis
Imbuis, & ſanctæ das arma rebellia genti.
Scilicet ipſe parens Veri convicia mille,
Mille notas & probra tulit, mendaxque, planuſque
Vulgo habitus. Dein omnipotens qui flumina torquet
Rex Superûm, reus humanum ſtetit ante tribunal,
Et morti addictus vitæ fuit ipſe repertor.
Sed tuus ille tamen cecidit furor irritus omnis;
Namque Deus tumulo datus & ſqualentibus umbris;
Nulla mora erexit ſeſe, egregioque triumpho
Sydereas victor lethi remeavit ad arces.
Mox quæ Terrigenis oracula fuderat, orbem
Sparſa per immenſum viguere ubicunque recepta.

Quâ magnis ſeptem ſedatis amnibus altus
Arva rigat Ganges, quâ pingui flumine Nilus,
Auriferaſque Tagus devolvit in æquor arenas,
Certatim Divos & Divûm diruit aras
Plebs omnis, templis ululant monſtra impia verſis.
Æs rivis paſſim fluit, & fornacibus aurum
Liquitur, hîc vilis fiunt ſimulachra ſupellex.
Ardet adoratum Martis caput, alma Diones
Filia, ſydereâque tonans modo Jupiter arce,
En ſunt urceoli, pelves, ſartago, patellæ.
Non tamen hæc animos adimit tibi maxima clades:
Sacrilegi cultûs ſpes nulla inhibere ruinas.
Ergo novos mundo laqueos, nova texere fila
Feſtinans, adjungis opem tibi Dæmonis atri.
Protinus è nigro Cocyti gurgite, ſecum
Tartareas agitans in bella nefanda ſorores,
Hæreſis ecce tuam male prompta juvare phreneſim
Advolat, & duce te quam primis hauſit ab annis
Nequitiam expromens, fraudum tibi præmia opima
Cum mercede tulit. Præfracta audicia monſtro,
Sed major virus condendi induſtria, peſtem
Ore venenato diffundit, at illecebroſis
Artibus intinctam. Nec fas evadere. Paſſim
Curritur ad vocem Circes quæ pocula melle
Imbuit, & mortem medicatâ involvit in eſcâ.
Vix ſe funeſtæ præſtare Eccleſia labis
Immunem potuit. Quin, incantata venenis,
Non ſemel acceſſit diri, eheu! partibus Arî

Tota prope, atque ſibi commiſſa labaſcere dona
Divinæ fide ſenſit, retroque referri.
Addita nimirum ſanctæ, tunc ſyllaba voci
Unica, divino importune injuria verbo,
Mentibus afflavit rabioſæ ſemina rixæ;
Fluminibuſque ſacri perfudit ſanguinis urbes.
Chriſtiadum pubes his conflictata procellis
Erravit, ſcopulis illiſa frequentibus inter
Obſcuram noctem. Non uno nempe triumphans
Concilio ille procax error caput extulit, & ſe
Reptando inſidiis per inexplicitos labyrinthos,
Victorem Veri geſſit feralibus auſis.
Sed quid opus luci tot triſtia prodere monſtra
Quæ tua fraus merſit tenebris Phlegethonte ſub imo,
Niliacis procul hinc prognate paludibus, Ari.
Tuque hoſtis Diæ Charitos, procul eſto, Pelagi,
Tuque, Valentine, infernis quos proditor umbris
Excivit Satanas. Dirum (ſed & aſpice) virus,
Certa per ætatum momenta ſubinde renaſci
Judicium ſummi finit inſcrutabile Regis.
Hac probat arte ſuos, quoties rubigine Verum
Obſcurâ exeſum purgare, ſacriſque nitorem
Reddere dogmatibus ſtatuit, Fideique vigorem.
Sed ſine Tartareo latrare in gurgite peſtes
Antiquas; præſtat nova contemplarier orſa,
Quæ tua progenies teterrima texuit, Orco
Suppeditante dolos, tunc cum furiale Lutherus
Ingenium, & Suadæ Calvinus lethifer artem

Contulerant Duce te, cœlo & ſua dogmata lapſa
Jactabant vani præcones, ceu Deus illos
Inſtaurando Orbi felici ſorte dediſſet.
Doctorum par egregium, jura omnia fœdè
Evertunt. Nihil his intactum. Hac labe ſacerdos
Afflatus, thalamo perjurus transfuga ſponſam
Induxit, fractis erumpit perfida clauſtris.
Virgo, cucullatæ nubit pars maxima gentis.
Almam nullâ fidem terris jam regula ſancit.
Quiſque ſibi interpres normam ſua ſomnia fingit.
Quiſque ſibi ſummus Calvini aſſecla ſacerdos,
Codice ſuccinctus Romana oracula penſi
Nil habet, inficiunt latè hæc contagia gentes
Innumeras, & ubique nefandus pullulat error
Dīditusq; in ſectas. Non tot reſonantia bombis
Agmina veſparum populantur prima Lyæi
Munera, vitiferos quot habet Burgundia colles
Latè inſectando. Non tot per compita Magnæ
Urbis, amatorum nugas & frivola vatum
Carmina, fabellas ſtulto ſale, inepta dicacis
Ludicra Calliopes ventoſa programmata jactant
Porticibus Procerum & Templorum affixa, ſupini
Quæ non curat iners plerumque inſcitia vulgi,
Sed queis Mercurio ſua judice gloria conſtat.
Hinc turpes Anabaptiſtas habet angulus omnis,
Pullulat & paſſim Catharorum inſania faſtu
Turgida ſe tollens, execrandusque Deiſta,
Et faber obſcurâ vilis de plebe popelli,

Ut lubet, ingenio ſibi propria dogmata cudit.
Nemo Chriſtiadum cultu non diſſidet impar.
Interea lacerâ vadens diſcordia pallâ,
Sanguineiſque imbuta notis cuncta expedit arma,
Immane exitium ſpirans. Simul & tua proles
Improba nodoſo ſibi deinde ſophiſmate vires
Accerſens, cædes, horrorem, incendia ſecum
Læta trahit, ſimul & viduatas civibus urbes
In cineres abiiſſe facit ſibi ludicra, ridetque
Ut videt innocuo per gramina tincta cruore
Quærentem everſi populum veſtigia Templi.
Hic furor Europæ ſe cuncta per oppida fædè
Diffundens ferro gentes populatur & igne.
Ecce etiam ambiguis quos nectis ubique doloſa
Implicitus laqueis fidei integer ipſe piuſque
Chriſticola, immani incenſus feritate repente
Dediſcit niveos mores legemque Magiſtri.
Quin & cæde madens, ſibi tamquam Numinis ultor
Plaudere non dubitat vel dum ſcelera omnia patrat
Quæ Deus inſequitur vindex. Tum teſſera ſignum
Ut dedit, ecce volat ſtricto mucrone Juventus
(Quis numerare queat tot millia!) cæca furore
Qui veræ fidei ſtudio præpoſterus ardet,
Et conſanguineos & ſancto fœdere amicos
Invadens, nullum eſt diſcrimen, ubique trucidat,
Gaudens hæreticum mucrone haurire cruorem
Romuleo. Pietas plebi impia porrigit arma.
Nam quis ſanguineo rictu leo, quæ fera tigris,

Quod Nemees monſtrum non pectore mitius illo,
Cui malè Relligio ſtimulis exſuſcitat iras!
Hactenus hanc rabiem plebes male credula inultam
Laudavit, ſed ſancta feros Eccleſia mores
Deteſtata, nefas luctu deflevit amaro.
Ergo tibi inviolatus honos & gratia demum
Ut ſtarent, decuit tot diris addere fucum
Criminibus, tandemque Deo hæc authore tueri.
Eximium artis opus nimirum fallere & ipſum
Ingenio cœli Numen, vocumque doloſo
Ludibrio cauſam decepto judice iniquam
Vincere: Scriptores ergo quot craſſa Minervâ
Finxerat argutos male, vanos fraudibus ambis,
Ridiculum errprem ingeniis ferventibus afflans.
Nempe rati quidquid duo vel tria inania Veri
Cenſerent capita, hoc atrox licet atque nefandum,
Ipſa quod horreſcat natura, adſciſcere certæ
Momentum fidei ſibi, ſancitumque videri
Voce Dei ipſius debere, vel omnia quamvis
Jura Deo violet nobis dictata Magiſtro;
Et fas Chriſticolis quod toto mentis abhorrent
Pondere rite ſequi, & damnando credere Verum.
Hoc ſibi præclarum dogma ut poſuere Sophiſtæ,
Protinus exurgit toto gens impia mundo.
Hoc morum doctrina (ſcelus furiale fovere
Utilis, & cœptis immanibus addere laudem)
Præſtitit, inferni qualem non ipſe tyrannus

Imperii Stygiâ ſublimis rite cathedrâ
Tartareæ plebi velit imperitare magiſter,
Vel dum præceptis animos immanibus implens,
Syderei probris Regem inſectatur olympi.
Tum ſibi nigrantis ſchola plaudere cœpit Averni,
Et geſtire novo Gentilia caſtra triumpho,
Cum ſchola Chriſtiadum furiali dogmate paſſim
Perſonat, aſſeclam Sathanæ, cui fraus ſua cordi,
Cui nec amor ſummi Genitoris, cura nec ulla
Virtutis pulchræ præcordia pulſat, ubi horror
Incubuit menti trepidâ formidine, ſacræque
Admotus menſæ guſtavit myſtica liba,
Protinus æthereis dignum quem cœtibus addas,
Sicque Petro quiſquis ſervili hoc pignore ſeſe
Inſignem obtulerit, debere hunc protinus intra
Sydereas ſedes admitti, & nectare paſci.
Hinc ſyncerus Amor longè exul, inutile, durum
Et ſervile jugum, nil jam eſt opus, eſt timor unus
In pretio, æternamque potens firmare ſalutem.
Dein ubi ſolerti mentes & pectora flexu
Dirigis, accedit vitio decus & nova forma,
Eſt ſine labe ſcelus, nec habent jam crimina culpam.
Non eſt perjurus nebulo dum pejerat, ars hoc
Pulchra docet. Nummos immanibus exigit alter
Uſuris, ſine fraude reus. Jam pulchra Simoni
Accedit fuco facies, dum ſacra profanâ
Commutat cum merce, Simon jam deſinit eſſe.
Suppetias fratri nil dives avarus egenti

Ferre tenetur. Opum pars nulla ſuperflua magnis
Regibus, addere opem populo quâ dura gementi
Evaleant. Tunc ars inventa eſt frugis opimæ,
Clarâ voce loqui mendacia, voce remiſsâ
Vera loqui. Sic ter (debetur & iſta ſophiſtis
Gratia) divinam poterit rem vendere jure
Sacrificus, propriæ tantum immemor eſſe ſalutis
Sacra litans partem velit & ſua cedere jura.
Ars fuit & dextrâ nihilum peccante necare
Qui pomum raptor tollat. Sed fallor ineptus.
Ah! jugulare nefas. Verùm ſine cæde poteſtas
Si deſit dulcis repetendi pignoris, enſem
Tunc inculpatus jugulo potes abdere furis
Vel dum terga fugâ vertit. Tunc denique fœdus
Sordibus omne genus ſcelerum, nil mente receptâ
Peccator.... Sed quo vatem rapit ardor anhelum!
Num mihi decretum eſt numeris comprehendere,
Magnus
Quæ reſponſa tonans Romanâ è ſede Sacerdos
Certa dedit? Nunquid luci dare ſubdola quæ tu
Conſilia obliquo verſas molimine dextra,
Et textas telâ argutâ ſubtiliter artes,
Ridiculâ pietate aptas illudere cœlo,
Quò pœnâ careat latro, & gens perdita luxu,
Et quos inſano rabies certare duello
Cæca jubet, quibus impurâ præcordia flammâ
Uſque flagrant: fœdâ ingluvie patrimonia rodens
Lurco vorax: mollis quem frangit inertia, livor

Quem malus accendit rabidum. Pudet execranda
Dogmata tot numerare, ſuo quæ fulmine Roma
Nunquam non feriit, ſed quæ nihilominus acer,
Indomituſque animi, pugnaxque impunè Sophiſta
Defenſare tuis non ceſſat perfidus armis.

At quæ me maneant deinceps certamina, quanto
Armorum ſtrepitu, quanto circum ſonet æſtu
Bellatrix cœcâ ſpirans immane phreneſi
Turba Scholæ hæreticis me adjungere certa maniplis,
Nota mihi. Hoc dudum ſpondet præſaga mali mens.
Proditor hinc fidei, ſceleratus transfuga, mendax,
Audio, ſcurra, planus, cui mens malefœta veneno
Wendrokî; plenis convicia fundere buccis
Cui furit impuræ rabioſa inſania linguæ,
Paſcalii pennis & fuco ſplendida cornix:
Rem verbo abſolvam, Janſenî aſſecla nefandus.
Dogmata nequicquam totum male nota per orbem
Quinque tuâ fabrefacta manu execrarier, omnique
(Obvia quâ ſenſum efficiunt vocabula) formâ
Profligare palam accingor; nil proderit; & quî
Ridiculos, quos tu inſtituis, damnare Sophiſtas
Suggillare paret Calvini ille audit alumnus
Per plateas omnes & per fora, nec minus orco
Debetur quam qui magnum neget æthere ab alto
In terras veniſſe Deum, qui victima nobis
Factus amore pio, totique ſalutifer orbi
Abſterſit noxam, proprioque cruore litavit.

Carbaſa nunc triſti decet impendente procellâ

Contrahere in ventum. Cum naufraga puppis in alto
Fluctuat oceano, tum ſero pœnitet iras
Ventorum, & ponti riſiſſe latrantia monſtra.
Parce chelim ſapiens, parce ultra tendere nervis
Calliope; tuque hinc peſtis longè improba migra,
Monſtrum horrendum, animam inſolito cui inſtincta furore
Afflavit Vatis veſania. Meta laboris
Hîc ſit Apollinei, cæſtus artemque repono.
Hinc, inquam, fuge; Maternas tibi porrigit ulnas
Neuſtria, portum illic tutâ ſtatione capeſſe,
Atque lares proprios; tibi Sarthæ littora plaudunt,
Pacatiſque ſinum pandit tibi fluctibus Orna.
Imò aude, certam ſi vis modò vincere cauſam,
Trivultî tibi devotas inviſere ſedes.
Hîc Midâ magis auriti tua gloria fratres,
Audaces ſacram cenſorum ſumere virgam
(Hanc illis addit ſoror ignorantia frontem)
Jura dare, & ferulam dicuntur inurere Phæbo.

EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

A D

LUDOVICUM MAGNUM.

ERgo mihi fruſtra fuit abjeciſſe profanas
Jam pridem Satyrorum artes, te ſcilicet unum
Ut canerem, obſtrictus voti ratione ſeverâ,
lagnanime ô Lodoix ? nam vix animoſa ſonoras
ſuſa fides tentat, cum vocem ſævus Apollo
errificam intendens, furere, inquit, deſine, nec te
ıfido committe ſalo, nec deſere tutum,
redemihi, littus ; faveat tibi quamlibet auræ
bilus aſpirans, Libycis funeſtius æquor
rtibus, innumeras immani gurgite claſſes
actenus abſorbere frequens, fuge vector adire.
Non quod adulator nequeam me addicere turbæ,

Quæ Te ſublimem curru ventoſa ſuperbo
Pingit, Alexandrum manibus poſt terga revinctis,
Juliademque ſimul domitâ cervice trahentem.
Nec mihi non promptum foret Oden condere, quâ Te
Inſulsè fatuus Marti præponere, & ipſi
Alcidæ, æthereos humeris qui ſuſtulit orbes,
Auderem. Quin Threicium tibi tradere pontum,
Othomanoque ipſi veſanus carminis author
Suaderem, vellet Pharii decedere regni
Finibus, & ſeptem geminum Tibi ſubdere Nilum.
At qui laude velim meritâ Te tollere dexter,
Hîc populo Vatum tritos inſiſtere calles,
Arctâ me ratio vetat & prudentia lege.
Scilicet opprobrio ſcriptoribus urere frontem,
Hactenus innumeris aſper, formidine Phœbus
Ipſe ſibi, campum ſubiens, præcordia ſtringi
Sentiat, aggreſſus faſtidia marcida ſævo
Prodere ſic verſu; ratio hunc nova carmina poſcit,
Quò ſibi jure probet tot inuſtos labe Poëtas.
Quin, ſi Muſa parum Regi reſpondeat, arma
Ecce palam expediunt animoſi infeſta Côtini.
Hiccine hîc eſt Capellanæ formido Puellæ,
Ille, aiunt, normam certus fixiſſe canendi,
Acer Ariſtarchus, nos carpere ſævus ubique?
Ecce virum ſimilis nobiſcum inſcitia vexat.
Porrò age, quis noſtrûm Patriæ inflammatus amore,
Non itidem Memphim expugnavit carmine, turres
Et Byzantinas fundo ſubvertit ab imo?

Quis non Euphratem, & Babylonia regna ſubegit?
Quis non Aſſyrias & opes evertere felix,
Impegit Libani cedris impunè bipennem?
Nunc quianam ſpoliis effrons audacia tritis
Incedens induta, putri ſe ſyrmate vanam
Oſtentans, primam affectat temeraria laurum?
Hæc contra quid fas contendere? victa pudore,
Et luctu confecta, ſibi veſana placebit
Nequicquam, & læſos relegendo queretur honores
Calliope, admirans, ignavi inſcita vulgi,
Judicio, quam ſit docto exitioſa labori.
Quamlibet ipſe ſui cæco reſtagnet amore
Immodicus ſcriptor, turpe eſt lectore carere,
Et miſera eſt ſanè facundia quæ ſua præſens
Dedecora adſpectat, doctæ & monumenta Camenæ
Francoridæ addici gemit, oportuna cucullos
Omne genus facere, & thecas quibus & piper aptè
Muſcataſque nuces, atque Indica ſacchara venum
Det populo, Muſæ proh! lamentabile fatum!
Hæ me dum clades, famæ & diſpendia terrent,
Integer ille animi Conrartius, atque ſilere
Æternùm prudens docet, exemploque tuetur
Propoſitum firmans. Vos ô! quibus inclyta palmæ
Gloria cor pungit ſtimulis, & fervida pulſat
Pectora, vos campo laus en invitat aperto,
Eia ſubite alacres; ſpectabimus illa ſilentes
Prælia, voſque acres ſtudiis & voce ſequemur.
Mî tamen, ut ſileo invitus, præcordia motu.

Ecce novo experior, tacitâ & dulcedine tangi.
Siccine (aio mecum, curis exeſus amaris)
Calliope turpi æternùm conſumpta veterno,
Expers frugis erit? ſpectator inutilis annos
Exiget ignavus Phœbo indignante Poëta?
Nomen Io! Auguſti totus dum perſonat orbis,
Exhibet & cunctis ſe Gentibus alma Parentem
Herois virtus, exſpectem ſcilicet ævi
Dum mihi tarda gelu vireſque effæta ſenectus
Ingruat, & perimat concretam ignavia vocem.
Hoc ſtudio fervet dum mens incenſa, rebellis
Si ſe Muſa negat Vati præbere ſequacem
Uſque Brabantinos in tractus, fulminat armis
Magnus ubi Lodoix repetens dotalia Sponſæ
Præmia, ſi Scaldis timidam Rhenuſque profundo
Gurgite Calliopen quatit, en pax aurea cœlo
Advolat, & frontem victori blanda ſerenam
Gratia conciliat; nunc nunc, Rex optime, pugnas
Martis, & immanem placeat dediſcere ludum.
Per me fas, alius vallatas aggere turres
Carmine convellat. Fas & Te, Magne, ſequatur
Sæpe vel injuſſus, quâ crebras ferrea mortes
Glans vomit, ignivomis interritus uſque procellis
Objectus, pulchræ ſitiens necis agmina vertat,
Nec pugnâ excedat, niſi pulvere fœdus honeſto,
Sanguineiſque notis imbutus, & ore cruento.
Ecquid anhelantem cædes, furiiſque calentem,
Ulterius ſtimulis prodeſt incendere Muſam!

Pacis opes ditant Patris nos munere partæ.
Ergo pace frui ſit nobis una voluptas.
Quorſum Elephas habilis bello tam multus, & arma
(Haud modus, haud numerus) vento & dare vela paratæ
Tot puppes, Pyrrho aiebat mentis bene ſanæ
Aulicus inſano. Romam me proſpera fata
Éia vocant. Quo conſilio? expugnator adire
Romam agito. Sanè incæptum Te Principe dignum,
Majus Alexander nec poſſet mente movere.
Verùm age dic, Româ quò tendimus ire ſubactâ?
Auſoniam poſt hæc in promptu eſt ſubdere gentem.
Eſt facilis vinci gens ſcilicet illa; quid inde?
Dein freta Sicaniæ invitant. Huc tendere velis
Perfacile eſt; illic ſtatio tutiſſima naves
Excipiet, portu felix mihi crede, quieſcet
Nauta Syracoſio. Nil ultra? ſi favet aura
Leniter aſpirans, altæ Carthaginis arces
Actutùm nobis & Punica regna patebunt.
Hac iter expediunt proclivi tramite fata.
Ergo tibi certum eſt bellando cuncta domare,
Maxime Rex; duce Te Libyes ſitientis arenæ
Nulla moræ injicient nobis diſpendia, curſu
Continuo Ægypti magnum ſuperabimus amnem,
Et dites Arabum ſylvas; ſibi ſponte Canopus
Ipſe jugum injiciet facilis parere; ſuperbus
Ille ſuis Ganges ſed & auxiliaribus undis,

Dicto audire ſuos etiam mirabitur Indos.
Nec Tanais præſtare Scytham, nec Mæotis unda
Securum poterit. Dominum Te, maximus orbis
Accipiet, populi venient ad juſſa volentes.
Sed poſtquam reducem pulchrâ victoria lauro
Cinxerit, & placidâ compoſtus pace quieſces,
Cui ſtudio incumbens ævum conſumere victor
Inſtituis? Genium tunc exhilarare beatum
Unus erit labor, & longis agitare diebus
Gaudia, deliciis demum indulgere paratis.
Ohe age dic, quianam jam nunc hanc vivere vitam
Non licet, & riſu ſolvi, rutilantis ab ortu
Solis ad occaſum; gentes tentare repoſtas
Nil opus, & patriâ Epiri decedere terrâ.
Conſilium ſanè Recti de fonte petitum,
Utilis imprimis res & nihil ardua factu,
Cui parere omni fuerat ratione beatum.
At ratione animum premere ambitione furentem,
Non magis eſt promptum, quàm ſi tentaveris aulæ
Pontificem aſſeclam, firmâ conſtringere lege
Excubiis populum ut foveat curâque fideli.

Nec tibi finge tamen me ſic odiſſe laborem,
Ut mihi deſidiâ torpens, ſomnoque ſepultus
Rex placeat. Tantum hoc tueor (ſua bellica lauros
Præmia quantumvis Mars vindicet) haud minus inter
Heroas mihi cenſendum qui geſſerit Orbi
Innocuum civem. Non eſt laus ſcilicet una
Bellica laus. Regi victricis gloria palmæ

Defertur, duro populos qui marte ſubactos
Cladibus affecit. Sed bellatoribus error
Id decoris vanus tribuit. Vulgaria nempe
Heroas magnos inter ſunt nomina: fortes
Ætas quæque tulit, felix audacia nomen
Queis pugnas inter dedit, & temerarius iræ
Impetus. Aſt & ſunt regioni Martis alumni
Cuique ſui. Magnos dudum ſibi Sequana jactat
Borbonidas; Et Tu non uno Cæſare victor,
Tibri pater, meritò caput effers jure triumphans.
At quoties Scythicis lutulenta paludibus ora,
Vel Gothico miſit cretos de ſanguine Reges
Exitium huc magnum, mavortia pectora, belli
Fulmina, perpetuis proh! nomina quanta trophæis!
At Rex reverâ qui ſit Rex, cujus habenas
Imperii tractet ſapientia, cui ſit & una
Regnandi ratio, populi ſervire ſaluti,
Et dudum cives opulentâ pace fovere,
Unam parturiunt cui publica commoda laudem.
Si lubeat memores populorum evolvere faſtos,
Quæ tibi ſæcla dabunt (age dic) hac indole Regem?
Exigui numero cenſentur talia Reges
Pectora geſtantes, tardo molimine fingunt
Hos ſuperi, nec dat niſi ſero tempore cœlum.
Talem ſe geſſit, pretioſo munere Divûm
Romulidis datus ille Titus, quo Principe, toto
Orbe ſuas miſſo ſub leges, aurea vidit
Roma ſibi Rheæ & Saturni ſæcla renaſci.

Orbis deliciæ, qui numine plenus amico,
Nullum colloquio admiſit quem non opulentis
Ornaret donis, & lautâ ſorte beatum.
Ille ſibi incaſſum gemebundus veſpere ſero
Exactum ſolem quiritari ſuetus, opimo
Munere ſi quemquam non dimiſiſſet onuſtum.
Hæc fortuna brevi luxit tam fauſta ſereno.
Sed quid ego externo imprudens ſub ſydere quæro,
Proſpera quod nobis hîc ſors largitur abunde?
Non opus ætates, LODOICE, revolvere priſcas.
Te medias acies inter conſpeximus, arces
Ipſe ſuas tunc cum victus formidine Belga
Desereret, ſe ſponte jugo ſubmittere velox,
Te, LODOIX, inquam poſt capta tot oppida bello,
Vidimus hîc avidos cædis cohibere maniplos,
Et ſubito legem fatis imponere, vel dum
De totâ facilem properarent gente triumphum.
Nempe aſſertori pacis tibi juſtior orta
Gloria; Palladiâ ſic & redimitus olivâ
Tempora, pacati merito audis arbiter Orbis,
Hanc tibi perpetuam, LODOIX, euge aſſere laudem.
Hac Te præcipuè ſublimem dicere tendit
Calliope, ſat erunt multi qui ſigna moventem,
Et rapido accenſum victorem Martis amore,
Per caſus belli ancipites Te, Magne, ſequantur.
Caſſide terribilem dicant, ſævoque tremendum
Enſe canant, Dolam magnâ obſidione prementem,
Dum rigidis deformis hyems aquilonibus undas

Aſperat, audaci tollant ad ſidera verſu.
Hæc exoſus ego dubii certamina Martis,
Pacificas Regni celebrabo induſtrius artes,
Atque renaſcentes bullantibus undique turmis
Muſa voluptates, ludoſque & gaudia nervis
Pulſabit placidis; paſtas & ſanguine plebis
Jamdudum peſtes, oppreſſas clade viciſſim.
Dicetur caſus ſapienter cauta futuri
Mens tua, abundanti ditans nos munere frugum;
Sidere dum tellus ſegetes negat ægra maligno.
Quod vitii invexit mos pravus, lege refixum
Dicetur; penitus compreſſa licentia, faſtuſque
Ambitionis atrox domitus, ſua præmia laudis
Inveniet. Fiſci dicetur & ipſe redemptor
Dum revomit prædas, tua largè æraria fundo
Ditaviſſe novo. Benefactis inſuper addam,
Ut miſeræ plebi immanes lenire tributi
Suppetias animum advertis; duroque labori
Addictus per Te miles terit otia blandus
Pacis amans ſtudia, & Francus rudis hactenus artes
Egregias tractare opifex, feliciter anteit
Authorum catus exemplar, pretiumque coactus
Pendere vicinis antehac ſervile (niterent
Ut pulchro cives atque oppida ſplendida luxu)
Nunc proprias affectat opes, nec quid petit extra;
Hîc ego regificâ modo ſtructa palatia pompâ
(Nobilibus florent heroum his otia cœptis)

Expediam. Fremit horriſono jam murmure uterque
Neptunus, nunc ut Pyrenes vallibus imis
Fœdere præcipitat fraterno jungere fluctus.
Ecce novo legum compacto codice, lites
Exciſas à Te gemit; & ſciſſo exulat ungue.
O! quot pupillis hac arte ſalutifer, & quot
Lethifer es rabulis, Auguſte, forenſibus, aptis
Jurgiaque & lites incendere jure maligno?
Quæ regio in terris non eſt, Te Rege, beata?
Cuinam non lenis benefactis aſpera fata?
Ecqua tibi virtus gelidâ præclara ſub arcto
Cognita, vel quâ ſol Indos face proximus urit,
Cui non actutùm meritis ingentibus ultro
Suppetias tulerit Regis favor obvius? ecquem
In terris deinceps invadere triſtis egeſtas
Audeat, Aonias ecce & ditare ſorores
Munificus properas, doctoque favere labori.
Aggredere ô! dignam, LODOIX, Te principe, curam,
Firmam Parnaſſi cultoribus aſſere pacem,
Heros non dudum ſine Muſis audiet heros.
Quamlibet inſignem magnis ſe geſſerit auſis,
Mox tamen ignotum nigrâ mors opprimet umbrâ,
Et teget anguſto nomenque & facta ſepulchro.
Pelides ohe, ut nocti ſe vindicet atræ,
Et tumuli tenebris, quot denſat funera fruſtra
Dardanidum genti! ſed & aſpice, magnus ut illè
Æneas

Æneas ſævis tot tempeſtatibus actus,
Troiam infert fruſtra Latio patrioſque penates.
Heroes ſacro magni ſi vate carerent,
Prodita tot nobis celebri per ſæcula famâ
Nomina, mors arcto premat illachrymabilis antro.
Ne dubita, magne ô! Lodoix, niſi muſa fidelis
Adſiſtens lateri, officio curâque perenni
Te foveat, fruſtra affectas clareſcere factis,
Fruſtra immortalem tendis Tibi quærere laurum.
Hanc tibi perpetuò florentem debet Apollo.
Largus opum hunc tenta Tibi devincire, nec unquam
Muneribus parce Aonias cumulare ſorores.
Eximiis deinceps fac floreat alma Poëtis
Gallia, Virgilios Auguſto fingere promptum eſt.
Proh! quantis ſtabit tibi conſtans gloria fulta
Teſtibus! ætates quàm vincere certa futuras!
Aſt ego qui penitus mihi voce perire peremptâ
Experior ſatiram, ſtimulus dum me acriter urget,
Unum Pierio Lodoicum dicere plectro,
Nondum auſim tenuis fœtus extollere Muſæ.
Si quâ fata tamen detur pervincere, ſcriptaque
Annorum parçat premere invidioſa poteſtas,
Fors & momentum poterunt adjungere laudi
Carmina noſtra tuæ. Verùm & tua, Maxime, quando
Prodita quantumvis fidis annalibus, ægrè
Pacta fidem invenient, & ſicubi dente maligno
Rodere quis tentet maleſanus, fabula ceu ſint,

Et figmenta notis mendacibus illita fuci;
Ut Verum conſtet factis illuſtribus olim,
Poſteritas teſtem Bolæum ſera vocabit,
Ille ſui (dicent) ſimplex & candidus ævi
Bolæus cenſor, cui ſcilicet unica cura,
Et decus, & ſtudium nil parcere moribus, ille
Conſonat hiſtoriæ, Lodoicum dum fide Magnum
Threiciâ ſonat, & plenâ veneratur acerrâ.

EPISTOLA II.

AD

CLARISSIMUM ABBATEM DES ROCHES.

DIC age, ſopitas quid opus ſtimulare
Camænas,
Authorum genti inviſas ut condere leges
Docta cohors velit, & vanum ſudare
laborem ?
Ecquem poſſe putes hos inter cernere Verum,
Et quam dux monſtro rationi ſubdere mentem ?
Quis novus, heus, aiunt, cenſor qui dogmata Flacci
Æmulus affectans Pindum emendare laborat
Exactor durus, cui ſannæ Muſa ſeveræ !
Nil ſapiunt illi quæ condimus omnia, nunquid
Vena illi potior, lymphæ & Permeſſidos hauſtus
Plenior ? Ecce furens animis nova prælia tentans
Linerius minimo me provocat, haud mora nobis
Cuſtodes, inquit, dentur, locus, hora, ſtyluſque
Et tabulæ, videamus utrum fortunet Apollo
Dexterior, numeris membranæ implere capacis

Et frontem & tergum, vacuum ut nil marginis extet,
Hujus ego planè rudis ignaruſque palæſtræ,
Solus ut exultet lutulentæ flumine venæ
Condono, & patior, dum ſcribit percitus irâ,
Quod pecco, ingenuæ jacturâ hunc plectere chartæ.
At tu qui ſalsâ Baviorum aſpergine inuſtæ
Nil metuis labis, quid nunc, Dulciſſime, rerum.
Solus agis, Myſtes Sacri dudum incola fundi?
Scilicet expectas dum Villicus acer agelli
Carpere opes varias, ſed ſolvere ſegnior, ære
Te modico ringens tandem velit impertiri.
Forte Sacerdotî vindex divina tueri
Jura tui cupidus, Monachorum lege cohortem
Arduus aggrederis conſtringere, & addere frænos.
Crede mihi, Auſanetus ſortem quantumlibet authos
Propitiam oſtentet, litem vel vincere certus,
Parce movere, cave fatuorum accedere turbæ,
Quos ſitis ægra auri ſtimulis immanibus uſtos
Exagitans urget Themidem ditare malignam,
Et ſibi egeſtatem pretio præſente parare.
Hac miſerâ labe infectos poſt mille viciſſim,
(Actoreſque reoſque) fori diſcrimina ſæpe
Infelix à te vel palmis hauſit onuſtos.
Rem ſervate viri, niſi ſtultus dat ſua nemo:
Sic Cadomi ſapitur, ſic omnis Neuſtria pubem
Inſtituit. Cunis abeunti hæc dogmata nato
Dat Cenomanenſis Genitor. Sed tu, Optime, puro
Flumine quem totum ſibi vindicat Æſia, lactis

Campani demum rivis prolutus, & omni
Imbutus dudum moris candore Picardî,
Tu totus ſtudiis immerſus pacis, olivæ
Palladiæ cultor, tu nunquam mente repente
Mutatâ ſpirans lites nummumque Sacerdos,
Mazerium coges raucefſere vel Corbinum.
Si qua tamen bilis tibi mentem incenderet unquam
Turbida tempeſtas caſu inflammata ſiniſtro,
Litem agitare ferox; æſtum cohibere furentem
Ut valeas, me dexter adi, me conſule, tantùm
Hæc audi ſapiens quæ vati dictat Apollo.

Forte viatores (Scriptori credere dignum eſt)
Jejuni duo dum carpunt iter, oſtreon ecce
Inveniunt gravidum fœtu; quod ut ambit uterque
Affectatque ſibi, ſubito Themis obvia caſu
Præteriens, illis occurrit, Diva bilance
Inſtructâ. Litem validis clamoribus urgent,
Ambo contendunt efflictim vincere cauſam,
Litis & impenſam. Prolixo examine librat
Rem Dea, dein concham, dixit, mihi promite, rixæ
Argumentum ingens; oblatam Diva repente
Pulchrè aperit, pleno & juris ſe proluit hauſtu,
Et ſic dextra ſecans litem, dimiſit utrumque,
Hæc addens, ſanè dulcem movet ille ſalivam
Piſciculus, teſtæ vobis auferte rigentis
Partem quiſque ſuam rabioſæ præmia rixæ,
Quod ſic deſipitis, Themidem ſapienter ubique
Illud alit, pacem ſit cura fovere, valete.

EPISTOLA III.

AD

ANTONIUM ARNALDUM

DOCTOREM SORBONICUM.

SCILICET arguti nodoſa ſophiſmata Claudî
Eloquio extricas victore, doloſque, proterva
Quos nectit novitas, Vero domitore reſolvis.
Sed labor ille tuus, medicæque induſtria dextræ,
Quâ nubes miſeris & perfidus excidit error,
Quid prodeſt, Arnalde, pudor malè deinde rebellis
Si jubet, & duris errandi cæca libido
Offibus uſque tenax, ſectari devia luſtra
Tandem agitat, vel dum patrio ſe reddere ovili
(Ut tua lux ſtimulat deceptos) velle videntur?
Errant mente malâ abducti. Sed nec gerit ipſe
Claudius ille tuis impervia pectora telis.
Perverſâ ratione furit; tua vocis amicæ
Conſilia ut blandè ſuadent meliora, maligni
Sibilus en Satanæ falſis ſermonibus aures
Expugnat. Scin' tu quàm deinceps fabula fies,

Si ſapis ut ſapit Arnaldus ? quæ fama ſequetur
Degenerem ! noſtris quæ deſperatio caſtris !
Quanta Carentonæ cumulabis funera genti
Unus deſertor ! Sic, quod foret una ſalutis
Anchora, in exitium vertit fraus Dæmonis atri,
Dedecus affingens, ſi pulchrè transfuga factus
Ad mentem redeat. Sic incantata venenis
Deſipit & fuco Dæmon quem format adulter
Inficitur ratio, ſic & felicia Veri
Semina corrupto intereunt naſcentia fundo ;
Sic Deus ancipiti pulſatus & ipſe tumultu
Ambiguæ mentis, deſertus deſerit ægram.

Sanè Terrigenas non fædior ulla ſuperbos
Infeſtat labes, Arnalde, jugoque ſubactis
Durius incumbit quàm fallax ille ſiniſtrâ
Imperitans ratione pudor. Nos ille doloſo
Scilicet aucupio blandus captator ineſcans
Allicit, & falsâ virtutis imagine fucum
Objiciens, puri faciem corrumpit honeſti,
Noſque onerat vinclis probro ſervire coactos.
Corruptor cœptis illuſtribus omnibus adſtat,
Arte doloque potens Pugili & ſua detrahit arma;
Ignavumque facit qui ſe jactabat alumnum
Indomitum Martis nuper. Nunc optime, mecum
Ne pigeat vani furias ſpectare Thraſonis.
Ille palàm intrepidus Superûm contemptor & audax
Ore negare Deum tacito quem corde tremiſcit,
Non ille abnueret lucenti credere Vero,

Verùm obſtant turbæ dicteria ſæva procacis,
Una dedit vires ſocordia, ridet olympum
Fortiter ignavus blatero, ſtimulata timore
Impietas furit, & timido convicia dictat.
Scilicet, hæc miſeris mortalibus indita labes;
Et fatale malum, vulgi quod inertia corda
Uſque premit, nempe alterius ſibi fingere mores
Exemplo; norma eſt nobis aliena libido.
Virtutem miſeri & vitium nos quærimus extra,
Inque vicem dum deſipimus, dum mutua cæcos
Stultitia exercet, ſervimus quiſque nefandum
Servitium facti ludibria. Quid pudet ohe!
Ulcera diſſimulare tumentia plenaque tabo?
Ridiculi ſanos, eheu! rectèque valentes
Nos ſimulamus, ubi dirâ præcordia flammâ
Torrentur, rapidâque calent fornace medullæ.
Ecce tibi inſolitis quatiuntur motibus artus,
Vena ſalit pulſu immodico, micat acribus ignis
Ex oculis, toto violentus inæſtuat ardor
Corpore ſcintillans & vivo fomite paſtus.
Quis te caſus agit, dic ô! bone. Sunt mihi ſana
Omnia. Quid? totus valeo. Quis te furor atræ
Incumbens menti ſic diſſimulare ſubegit?
Intereà toto contages corpore gliſcens
Invaſit miſerum, mox & febre toſtus acutâ,
Confectuſque malis, feretro compoſtus acerno
Pro foribus, ſacrâ ſetoſi aſpergine Sceptri
Prolutus, mæſtos fœdabit clade penates.

Et

Et dubitamus adhuc meritæ huic occurrere noxæ ?
Inſtat ſumma dies & ineluctabile fatum
Decipit incautos, & furis more ſupinos
Invadit. Lucro momenta apponere ſani
Curemus, quando placidi indulgentia cœli
Spirat adhuc. Magni ſit nobis muneris inſtar !
Quod nondum prædam fœdis erroribus ægros
Deſeruit. Pennâ interea volat hora fugaci,
Quo loquor, hoc ipſum procul eſt jam (credite) tempus.

Ergo Terrigenas miſeros pudor improbus urgens
Mancipat errori, ridenda inſania turpi
Exitio merſat. Tu ſcilicet improba ſyren,
Humanæ ſoboli caput horum & cauſa malorum,
Fractum ubi blanditiis & conjugis arte doloſæ,
Illecebroſa Patrem tibi ſubjicis. Ille pudore
Deinde malo victus, ſe prodere maluit & nos
Imperio Satanæ, quàm ſponſæ intendere litem
Fraudis, & inviſo Nympham confundere luctu.
Ergo inhians falſis (illex blanditur ut eſca,
Et pomum fatale micat) bona cernit adempta
Vera ſibi infelix, manditque ſub arbore lethum.

Deluſus Satanæ Genitor miſerabilis aſtu,
Ante ſuos turpi quàm proditione nepotes
Perderet, huic blando ſol aureus aſtra tenore
Componens, & opes & ſancto gaudia luxu
Hauſta voluptatis divinæ è fonte creabat;
Nec votis locus; omnis ager turgebat ariſtis

Sponte ſolo natis; nec opus, ducente colono
Difficilem ſulcum, pigros ſtimulare juvencos.
Dona ſinu tellus duri ſine vulnere raſtri
Omnia fundebat; gravidis ſed & uſque racemis
Vinea luxurians, generoſo pectora ſucco
Implebat blandè exhilarans, nec bella movebat
Importuna fames, morbi nec forma nocebat
Ulla, per halantes ſed paſſim floribus agros
Flumina nectareis ſerpebant fontibus orta.
Sed non ille prius ſummi præcepta Parentis,
Auſcultans Satanæ, infregit, quàm dira rebellem
Invaſit culpæ vectigal turba malorum.
Heu miſero tellus eſt facta repente noverca,
Nilque dedit frugum niſi verſa ligone ſevero,
Et ſudore ſubacta viri! Quin ecce cruentus
Horreſcit glebas inter paliurus inertes.
Inſidians repit ſylvis, & lubricus errat
Anguis lethifero tumefactus colla veneno,
Urit agros ſteriles violento Syrius æſtu;
Et flabris Aquilo montes quatit arduus altos.
Tunc opus adverſùm rigidæ fera tempora brumæ,
Vellere oves nudare, gregum & ſibi membra fovere
Exuviis; ſimul atra fames, ſævoque furore
Incumbens Bellona, lues & tabida latè
Inficiens, unâ gentem merſare ruinâ
Terrigenum affectant invicto fœdere peſtes.

Nulla tamen miſerum clades immanior orbem
Afflixit quàm ridiculi fraus illa pudoris

Corda domans. Turpi eruperunt omnia nido
Et vitia, & gliſcens maleſanis ſenſibus error.
Deſipitante alios erro furioſior omnes,
Unum cui lucri ratio ſua fingit Honeſtum,
Et paupertatem demens vitio imputat unam.
Rebus ab humanis virtus odioſa coacta eſt
Cedere, Relligio tacitis latet abdita ſylvis
Luſtra ferarum inter. Nemo hinc tam expertia labis
Corda gerit, limo quin inficiatur ab illo.
Debita vel primæ fuerant hæc præmia culpæ.
Ipſe etiam tibi qui vates hîc dogmata fundo,
Ipſe ego veridicum præconem qui gero, victus
Imprimis errore malo vitioque pudoris
Illius indomiti, cunctis ignavior arma
Expedio contra hæc vanæ ludibria formæ.
Sic anceps dubiuſque animi, cænoque doloſi
Implicitus vitii, dum me extricare laboro,
Exuere arte jugum tentans, pudor inſilit hoſtis
Immerſatque luto timidum. Pede liber ubi uno
Nimirum fugio laqueos, pes ſe implicat alter.
Nam ſi quando, ut nunc, animus fervoribus ictus,
Æthereis ſapere advertit, ſanctiſque medullas
Incendit flammis; pulchræ virtutis alumnum
Ut præſtare palam ratio admonet, ecce levis me
Dejicit ignavum nutuſque loquaxque ſuſurrus.
Quin ſuper his, Arnalde, tibi quæ ſcribere ſuaſit
Mî bona mens, vereor quid de me fama loquetur.

EPISTOLA IV.

AD

LUDOVICUM MAGNUM.

Ambitioſa tuas æterno carmine lauros
Calliope celebrare, gravi gemit anxia curâ,
Marte tuo Batavos nullâ potis arte ſubactos
Mæoniis æquare modis, poſt mille labores
Sudatos. Non eſt verſu ſic prona domari
Hæc regio, ut ludus tibi bellicus oppida centum
Expugnare dedit. Quas victor ſic quatis urbes,
Has duro horridulas non ſimplice ſyllaba vallo
Undique tutatur. Quantumlibet exſtimulet ſe
Calliope, cedet labor illi ſemper inanis.
En leni volvit placidos Iſala agmine fluctus,
Hinc, ut vox blandùm ſonet auribus, eſt tibi longè
Arduum iter donec Teſſellia littora curſu
Attigeris. Sic eſt, ſe nominis importuno
Urbs ibi quæque ſono ſeptam ſemperque rebellem
Exhibet adverſus numeros, ſubvertere dura
Omne melos gracli quod parturit ore Camena

Vah! quis non trepidet formidine, adire Voërdam!
Quis non Heuſduni vel nomine palleat uno!
Dic quænam numeros habilis contexere ubique,
Flevi Muſa Lacûs meritò non horreat oram?
Vos Hardervicum, Zutphania, Knodſemburgum,
Vaga, Doeſbûrgum, quæ dextro induſtria verſu
Oppugnare queat? Centenas ſcilicet arces
Inter, adhuc proprius tibi Mars quas ſubdidit, ecquæ
Non potis hebdomadas plus ſex torquere Poëtam?
Et quâ volvit aquas Wahalis; quâ Leccus, ab omni
Parte ſtylus reſilit, ſterileſcit Pegaſis unda.
Saltem ſi rapidi curſum cohibere furoris
Tantiſper tuus hic vellet Mavortius ardor,
Et recreare moræ requies aliquantula poſſet
Imbelles Muſas, rimando extundere forſan
Egregium fas eſſet opus, ſic ut ſua Pindo
Gloria ſalva foret, nobis nec dedecus ullum
Hæreret, ſortem hanc ſic evaſiſſe beatis.
At ſimul ut ſtadio premit alea currere aperto.
Pegaſus horret inire ferox, retroque reſiſtit.
Ipſe novâ belli turbatur imagine Apollo,
Jamque jugo acceſſit Noviomagus, obſidione
Orſovium cum cingit adhuc valloque Camena.
Nunc tamen ut Pindi propior me ſpiritus afflat,
Vati ſponte modos dictans, ſacer æſtus anhelum
Et lex officii jubet imperioſa, recentem,
MAGNE, tuum aggrediar verſu celebrare triumphum,
Et domitum pluſquam Herculeo molimine Rhenum.

Si fluctu obruimur, pulchrum eſt cadere ardua cœpta
Tentantes. Vos ô! quidquid, Muſæ, arte valetis
Et ſtudio, hîc opus eſt expromere; Nempe ſtupendum
Quando fidem ſuperat facinus, Verumque videri
Fabula jure queat, licet huic affingere formam
Ut lubet, & monſtrum pigmentis pingere miris,
Ergo huc ferte pedem, Aonides, ſed amara creare
Tædia vos omni in primis decet arte cavere.
Noſtis enim tragicis quàm agnati caſibus omnes
Sint magni verſus. Certum eſt plerumque labore
Magnifico Vatum, faſtidia marcida naſci.

* Aërius quâ Mons in vallem deſinit imam,
Inter arundineam Rhenus Pater otia ſylvam
Lenta trahens, dudùm ſucceſſu lætus aquarum,
Leniter acclini incumbens proclivior urnæ,
Ducebat placidum, (naſcens hunc nempe ſuſurro
Unda movet) ſomnum, furiali turbine clamor
Cum ſubitò exortus, ſæviſque ululatibus auras
Incendens, victum tranquillo membra ſopore
Excutit. Obſtupuit, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor, pavidam toto cum littore cernit
Naïadum turbam diſcurrere. Scilicet omnes
Udi certatim coeunt ad limina Regis,
Ingeminantque Patri terrorem, ut quæque reportant
Heroem, totis quem ambit Victoria pennis,
Antiquum decus, & ſancti torrentis honorem,
Ut volitat victor, temeraſſe immanibus auſis.

* Mons Adula.

Jam Weſalia, jam Renoberga, duos intra eruta ſoles
Oppida magna, jugum longè latèque minantur.
Vidimus hunc (inquit Nympharum ſanguinis una)
Vidimus, huc ubi culminibus centum ærea ab altis
Fulmina lethifero mortes circùm ore vomebant,
Intrepidum ferri. Jamque arcibus ingruit heros
Quas gurges tuus immenſis tutatur aquarum
Vorticibus cinctas, agit impetus igneus hoſtem,
Et fuerit pax ira tui violentior amnis,
Æmula victoris ſi forte referre furorem,
Atque ſupercilii magnum contenderet inſtar.
Ore refert habituque Jovem, Phæbæa nec uſquam
Littoribus noſtris fax quidquam cernere majus
Alma dedit, Dux Juliades te fallere dexter
Ex quo, ponte tuos auſus tranſmittere fluctus,
Immenſum geminâ perfecit luce laborem.
  Audiit hæc trepidâ pavidus formidine Rhenus.
Scintillis ſalit ex oculis humentibus ignis
Luridus, & ſimul has rumpit de pectore voces.
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Ecce novis didicit Scaldis ſub legibus undas
Volvere, num vobis clades nihili illa videtur?
Ergo mihi exitium miſero ingruit illud, ut arces
Quem circum vallant & propugnacula mille,
Mox eadem fati crudelis lege ſubactus
Occumbam, quâ tot ceciderunt nomine nullo
Flumina. Stat nobis commune refellere crimen.
Ah pereat ſiccis gurges damnatus arenis,

Audendum aut aliquid magnum, tentandaque Martis
Sors extrema, palam ut fiat quem gloria palmæ
Victricis maneat, quis cedere debeat, utrum
Dux hic mortalis, Rheni an venerabile Numen!
Sic fatus fœdam limosâ uligine barbam
Abſtergens, faciem annoſi ſibi fingit & ora
Militis. Horrendam rugæ & non una cicatrix
Quæ frontem ſulcat, ſpeciem dant; ſed ſuper acres
Ecce Deo flammis oculi pugnacibus ardent.
Actutùm molitur iter, circumdatus atrâ
Nube Pater, Skinki notam contendit in arcem
Hactenus invictam. Fluctus ibi contemplatus
Majeſtate graves, bellantum pallida cernit
Agmina, palanteſque huc illuc littore turmas.
Proh pudor! haud illis virtus in pectore præſens
Ulla manum conferre, expectant turribus altis
Ignavi, donec Lodoix victricia ſigna
Inferat & domitos ſubiens ſua ſub juga mittat.
Horrendâ ſegnes invadens voce maniplos,
Increpat his. Regum rixas ô! cernere acuti
Hactenus, arbitrio dudum & componere gnavi!
O quondam fruſtra bellis aſſueta juventus!
Sic muris patriâ pro libertate ſub altis
Certatis ſtantes, domito dum fluminis alveo
Hoſtis ovans turmas tranſmittit, ubi altius undâ *
Æſtuat exſuperans immani gurgite torrens?
Saltem ne pigeat (ripam prenſare manipli

* Non longè à Toluſio.

Difficilem ut tendunt) adverſo in littore pugnam
Conſerere, & feſſis facilem extorquere triumphum.
Ignavi pugiles, queis pondus inutile ferrum,
Ite, fugam celerate, decet vos unica falcis
Gloria, vos junci expectant herbæque paluſtres,
Ite ſecare habiles, pinguis ſimul arte prematur
Caſeus aſſuetâ, vel (quæ via certa ſalutis
Una manet victos) defendite littoris oram.
Ultima ſors urget, certate aut vincere mecum;
Aut pulchræ fortes confeſtim occumbite morti.

Acribus ut trepidos bellator percitus irâ
Urget atrox ſtimulis, redit in præcordia dudùm
Bellica vis extincta, viris pudor arma miniſtrat,
Virtutiſque loco pugnandi inflammat amore.
Ad fluvium rectâ properant ubi lege maniplos
Componens LODOIX, regit, inſtruit, arduus alto
Littore. Se tumidis committere fluctibus unus
Omnes ardor agit. Princeps diſcrimen adire
Auſpiciis, LODOICE, tuis Grammontius audet.
Intrepido bellator equus ductore ſuperbus,
Gurgitis undantem ſecat alto pectore foſſam.
Proximus hunc urget Revelius, hoc duce bellis
Invicto, graditur loricæ nil gravis ære
Indomitus miles pulchro ordine. Sed ſuper omnes
Leſdigueriadem rapit impetus, æſtus anhelum
Ut quatit, ecce moræ impatiens jam littore longè
Emicat; innumeri fluvium domitare tumentem
Et gnari ſubeunt heroes, Nantolietus,

Vironides, Coëſlinus, Salartius, omnes
Exſtimulat primam virtus interrita laurum
Quærere. Borbonidum ſoboles mavortia Regum
Vendocinus, rapidum præceps irrumpit in amnem.
Salleus, Ambra, Beringenius, Cavoſius acer,
Et Nogentinus trepidos ſub pondere fluctus
Certatim findunt, animis ferventibus addit
Magnus adhuc Lodoix ſtimulos, ſed & importunam
Ipſe gemens ſortem luctu indignatur amaro,
Quæ vetat heroum tentare pericula ripæ
Affixum. Tamen innumeræ mora nulla carinæ,
Ut jubet, ecce ſecant fluvii ſpatia alta profundi,
Remigio celeri. Videas huc martis alumnos
Saltu præcipites plus centum irrumpere. Rhenus
Ut videt ore minax truculento, protinus illuc
Advolat, irarumque omnes effundit habenas.
Continuò ſuper hanc Juvenum ſeges ignea turbam
Undique denſa pluit, flammatis aura tepeſcit
Glandibus, & toto ſulphur furit aëre peſtem
Ingeminans, fumant cava littora grandine circùm
Fulmineâ ſpargente neces. Jam plurima plumbo
Fatali capita heroum data triſtibus umbris.
Ut ſonipes curſum ferus urget, fervida ſpumis
Unda gemit, rapidæque æſtu volvuntur arenæ.
Ut furit horriſono tempeſtas atra tumultu,
Non nihil ancipitem geſſit ſeſe alea martis.
Aſt uno propriam Lodoix ſibi fecit amicamque
Obtutu. Nil fata audent mutare ſub illo

Auſpice, jamque volant Mars & Bellona ſecundis
Ominibus, comites Grammontius ut trahit illex.
Obriguit primo aſpectu conterritus amnis,
Sævior exanimem clades ecce & ſuper urget.
Nuncius attonitas aures certiſſimus implet,
Condæum, Enguienumque ſolo jam figere greſſum
Hoſtili. Condæum uno qui nomine muros
Diſjicit & triplici vallatas aggere turres,
Hoſtiles cuneos ſuetum perrumpere ſemper
Marte ſuo, aſſiduis & ſe clarare triumphis.
Enguienum ſobolem dignam Patre, pignus & unum,
Hoc teneris & ab unguiculis duce vincere doctum.
Proh pudor, ante tubas abjectis turpiter armis,
Terga fugâ vertit Batavus! torrente procellâ
Fractus & ipſe Deus (contra cum nulla poteſtas
Stare loco) miſerâ ſe ſorte fugacibus eheu!
Adjungit ſociis, fletu ſimul ora cruento
Humectans, ſævo Pater obrutus undique caſu,
Exhauſtoſque gemens fato adverſante labores,
Vincere dat Magno LODOICO, & littore cedit.
Nuncius ingenti luctu ſæviſſimus implet
Oppida, terrificans animos, incedere nempe
Inſtructas acie ſuperato flumine turmas
Francigenûm; Wurtſi fama hæc citò perculit aures,
Caſtra ubi tuta fovet, gentis ſpes Wurtſius ille
Et tutor Batavæ, quàm formidabilis Hector
Wurtſius ille, ſono vox ô! malenata tenellis
Horribili auriculis! ſineret modo nominis omen:

Infauſtum, ah pulchrâ tibi quot miracula pompâ
Calliope objiceret! nullâ expugnabilis arte
Hactenus arx Skinki, longum tibi ſubdita faſtum
Dediſcens, fidâ fulgeret imagine picta,
Præterea . . . . Aſt venam glacie mihi ſtringit inerti
Wurtſius. Et dixiſſe ſatis ſibi Muſa ſuperque
Hæc putat. Hic ergo prudens ſilet, ultimus eſto
Ille labor. Sed enim ſi rhythmo Arnheſia forte
Expugnanda ſubit, quis erit modus evadendi,
Ni pandat vati populoſa Hildeſia portam?
O! ſi nos Aſiæ voluiſſent fata propinquos
Vivere! proh quanto ſe Pieris alma ſuperbam
Flore ferat, cum te rapido Victoria curſu
Antevolans, & mille tuo ſubmittere gentes
Imperio velox, faciles in carmina rhythmos
Sufficeret, Pelagus quot millia volvit arenas!
Nulla ibi tam ſiccis horret regio aſpera glebis,
Quæ non nominibus præclaris dives abundet
Undique, nec pagum videas non lene ſonantem
Auribus. O! quantum cordi foret, uſque Scamandri
Ad littus te, Magne, ſequi, cineremque videre
Pergameum, ſacris decantatum uſque Poetis.
Cominus ah! quàm dulce, æquâ perpendere lance,
Iliacas turres & Trojæ mœnia nunquid
Vertendo, geminis plus egit Græcia luſtris,
Quam nuper Lodoix noſter bis quinque diebus!
Flagitium eſt, animum immeritæ ſic frangere Muſæ.
Quæ plaga nimirum magno tam diſſita in orbe,

Quò tua non poſſit bello pertingere virtus,
Et citò non pariat laudum argumenta labori
Caſtalio? ſanè ſegnes agitare querelas
Grande nefas fuerit. Gemino ſi ſubruis arces
Menſe quaterdenas, LODOIX age, jura ſubacto:
Ante duas Hyemes Victor dabis Helleſponto,
Id tibi Mars ſpondet, numeros mihi Apolline dignos.

EPISTOLA V.

AD

CLARISSIMUM D. D.

DE GUILLERAGUES.

HUC ades o! Reges propius contingere dexter,
Artificis Suadæ illecebris cate vincere mentes,
Et dubios calles inſiſtere mobilis Aulæ
Semper inoffenſo pede. Te Charis aurea quando
Finxit prudentemque loqui, cautumque tacere.
Nunc me dum variis anceps ſententia curis
Dudùm agitat pendentem animi, ratione magiſtrâ
Conſilioque rege. Antiqui dic num decet artes
Uſurpem rurſus ſtudii, & mordacis Iambi
Nequitiâ quondam ſcriptores urere felix,
Nunc etiam aggrediar Pindi compeſcere vulgus
Emeritus pugil, & veterem exercere palæſtram
Cenſor adhuc acer ſtimulis & bile jocoſâ.
Proh! quantos olim fervens viridante juventâ

Ridebam excitos Muſâ petulante cachinnos!
Quoſve Poëtarum accendi ſtomachoſior æſtus.
Danda fuit venia hæc Juveni, cum nigra decenter
Vertice cæſaries undabat tempora ſignans,
Et vati vires circùm præcordia fervens
Integer addebat ſanguis. Maturior at nunc
Cum ſapit & votis curas melioribus urit
Mens frugis ſtudioſa bonæ, fatiſque voluta
Jam prope luſtra novem Parcarum pollice currunt;
Calliope tanti venalem quærere famam
Non ſtudet, ærumniſve decus mercarier ambit
Nobilibus. Nunc nunc, licet, unum figite telis
Scriptores, quotquot nigro ſale cenſor amarus
Defricui. Conjuratis en pectus inerme
Dudum odiis patet, eia ægro inſultate leoni.
Nulla mora eſt in me quin vel Pinchenius ungues
Expediat. Mihi ſtat veteres dediſcere rixas,
Virtutiſque viam per cuncta anguſta tenere:
Ut mihi flos ævi, ſic & pridem excidit ira.
Frigida (per me fas) nunc vatum ludite turba
Ut lubet, una mihi nitidos ſapientia mores
Componet deinceps, me me unum perſequar hoſtem;
Exſcindens penitus vitiorum è pectore fibras.
Addictam Vero mentem probitatis amuſſis
Una reget; vigili in memet deſcendere curâ,
Erroreſque prope admotâ emendare lucernâ,
Hæ meæ erunt artes. Radio fas ſydera pallens
Deſcribat Sophus, & ſtudio ſe maceret; axe

Fas ſolem immotum defigat, fas & in orbem
Verſet agens circum; fas & Saturnius ignis,
Se vario aſpectu, vario ſe lumine monſtret.
Nempe Rohaltus ubi curâ confectus inani
Quærit, quî, vacuum cum ſit nihil, omnia ſeſe
Expediant motu facili. Bernerius & dum
Corpora committens magnum per inane globoſa
Quæ ſe cunque movent errantia, mixtaque aduncis,
Dædalus arte novâ cum ſiccis humida cudit.
Contra ego cui ſcopulis metuendum curritur æquor,
Hoc unum tendo, celeri ut me remige contra
Vim pelagi tutum præſtem eripiamque procellæ
Inſtanti, indociſemque animum mihi ſubdere conor,
Si poſſim ſalvâ ratione emergere victor.
Nimirum cunctis votorum ſumma, beate
Vivere; Quod cupimus non longè eſt, hoc facit æquus
Quippe animus conſtanſque ſibi. Fanaticus ille
(Nunc viden') innumeris cui mens erroribus ægra
Pacem animi evertit, fruſtra mutare laborat
Sole domos alio. Seu Navem aſcendat, equumve
Urgeat impoſitus dorſo, tamen undique diræ
Circùm ſtant peſtes, urgent ſimul agmine denſo
Atque equitant unâ curæ, nec ſe fugit uſquam
Turbidus, inſano quatitur miſer uſque tumultu.
Dic age, Pellæus Juvenis, dum funera prædo
Denſa vagus cumulans toto furit impius orbe,
Quo ſe conſilio ſuſtentat? Nempe protervus

Impatienſque ſui, externo ſub ſidere quærit,
Si forſan diros quibus hunc inſania vecors
Exagitat, poſſit curatum fallere morſus.
His actus furiis Erythræi littoris oras,
Auroræ populos & clauſtra extrema petivit,
Urget adoratus quâ Titan igne propinquo
Aſſyriam pubem, Perſas Nabathæaque regna.
Scilicet arguti nobis accerſere cladem,
Volvimur ancipiti vertigine ſemper, & extra
Effrænes urget male ſana libido vagari.
Quid juvat extremos per mille pericula lethi
Sollicitare Indos, gemmaſque aurumque repoſtum
Rimari orbe novo? Quod navibus atque quadrigis
Quærimus, hoc juxta nullo ecce Lutetia ſumptu
Suppeditat, neque ſe, ſub curru ſolis iniqui,
Oceani fines ultra, magis offeret alma
Pax animi, quàm tardus agit quâ plauſtra Bootes.
Æquat opes Regum modicâ qui ſorte quieſcit
Compoſitus. Sed nos eheu! queis nil ſatis unquam
Eſſe poteſt, quod obeſt nobis optamus iniqui.
O! mihi brumali ſi frigore morbus acutâ
Febre ſalutaris, ſoccrum quem tuſſis anhela
Jamdudum quatit, & pituitæ flumen inundat,
Thoracem & fauces, & totos lethifer artus
Infeſtans, pulchro componat funere, rite
Luſtratum ſacris, & feſtas impleat ædes
Jucundo luctu, proh! quam felice lapillo
Ille dies, quanto mihi ſignaretur honore!
S

Quàm lætus ſtruerem inſidias ! quàm ſplendida pompæ
Bulliret ſpecies ! nuper mihi cuncta modeſtus
Aiebat ditis liberti proximus hæres,
Dudùm prædæ inhians cui dives avarus opimæ
Incubat, ardet enim capularem expungere ſcribam,
Qui Genero egregium ut felici morte triumphum
Et tantas conflaret opes, ſudavit & alſit,
Seque quaterdenos torſit male ſedulus annos.
Ecce ſenem tumulo tandem Gener intulit, eia
Dives opum variarum exultans funera læto
Proſequitur pæane. Sed ô ! dic, Optime, nunquid
Re felix verà. Minimè, inquis. Jam ſibi pulcher
Nobilitate placet, fortunâque ebrius altum
Et genus & titulos & avorum inſignia demens
Membranâ ingenti deſcripſit, & ordine totam
E priſcâ repetens demonſtrat origine gentem,
Nunc etiam patriâ fœda oblitus ora farinâ.
Æſtuat, huc illucque volubilis error in horas
Ancipitem verſat. Viden'ut triſti ardua fronte
Cœpta rotat vecors, abnormis, ineptus & ipſi
Tandem odio ſibi, difficilis, moroſus, & atrâ
Obſcurus nebulâ. Sic prorſus ut æquior illi
Sors foret, adſtantem piſtrino ruſtica turba
Indutumque ſago vili ſi cerneret artes
Tractantem patrias, deceat quem farre ſubacto
Aut mulæ coſtas onerare aut ſegnis aſelli.

Verùm his indoctum vulgus non commodat aures,
Dum ſtupet inſanis nummi fulgoribus amens.

Vox eſt una fori nummus, facit una beatos
Vel quæſita dolo regina pecunia cives.
Empta Themis pretio ſellas dat habere curules,
Turpibus & trabeas mandat, quos & cruce nuper
Et laqueo dignos cenſebat calculus omnis.
Sordibus infamem paſſim me ſibilus urget,
Dirus ait nebulo, cæli qui fulgura ridet,
Et Superis oppedit, ab omni parte ſceleſtus.
Mille mihi nummus virtutes computat, arcâ
Quas contemplari mentem tenet una voluptas.
Quid mihi præſenti pretio non ſuppetit? Ecquæ
Non venalis adeſt fulvo dos rara metallo!
Improbus his plaudit ſibi ſiſci Dama redemptor.
Aſt ego quem nullus tranſverſum decipit auri
Argentive nitor, cui doctæ Palladis artes
Inter opes veras dudum numerantur, egentem
Haud dubitem tibi Patrnadem præferre, Coactor
Dave, ſaginatum populi quem ſanguine, Regum
Cernimus aurato ſubeuntem limina curru.
Non quod ego huic fatuo ſua quem ſapientia demens
Commendat, comes accedam. Quippe ille bonorum
Utilium fœdè ſervus, dum quâ decet uti
Neſcit, opes magnas pelago donavit avaro,
Altè vociferans en felix vincula rupi:
Nec potuit niſi deſipiendo evadere liber.
Quàm ſeſe virtus meliori pondere libret,
A puero mihi compertum. Tamen & mihi certum eſt

Non ita difficili vitam conſtare paratu
Naturam certo cui promptum eſt fine domare.
Sollicitâ quid opus jaculari plurima mente,
Pauca ubi ſufficiunt anguſto limite vitæ?
Quod tibi Calliope jam nunc ediſſerit, illud,
Crede mihi, à tenero nunquam non ſedulus ungue
Exegi, moduloque meo me expendere novi.
Sexdenos Genitor totos induſtrius annos
Incubuit Themidis ſtudiis, cenſumque reliquit
Exiguum tetris excedens, qui tamen eſſet
Contento modicis ſatis, æmulus hunc modò vellem
Uſque affectari. Sed me melioribus urens,
Vis animi ſtimulis, Pindi juga docta ſubire
Impulit incenſum præclaræ laudis amore,
Et Themidis tabulas, quibus & Pater optimus & ſtirps
Tota inſudavit, ſtudiis mutare Minervæ.
Pulverulenta fori ſic inter ſcrinia viſus
(Gente Bolæorum nequicquam dita fremente)
Tollere ſe indomitâ cervice Heliconis alumnus,
In medioſque dies abnormem ibi ſtertere ſomnum
Fervet ubi à primo labor irrequietus Eoo.
Id conſanguinei ſævo exagitare tumultu
Dum pergunt, nihilo interea ſeſe minus effert,
Arbitrioque ſuo gaudet componere Muſa
Effrænis. Tunc ſpem fortunæ ponere, opeſque
Spernere quas Phœbi bene nemo ambivit alumnus
Præter Pimplæas lauros nullius avarus.
Hinc rigido incoctum flagravit pectus Honeſto,

Hinc & amor Veri inſedit quem vincere nulla
Vis queat, aut nummi ſpes inſidioſa doloſi.
Sic certum nulli Magnatum addicere Muſam,
Atque jugum ferre indocilem (quis credat) incrtis
Ludicra ſectantem vitæ, tamen ecce ſecundus
Reſpexit Plutus donis opulentus opimis.
Orbis amor ſedenim LODOIX (quo numine Phœbo
Spiritus, & Muſis ſtat honos & gratia vivax)
Candori niveo virtutis præmia ſolvit,
Prodigus interpres Recti, remque imbribus aureis
Auxit ſponte mihi: nec eum deſſiſtere cœpto
Indomitas iterans cenſorum turba querelas
Impulit, aut fraudes ſolers mihi nectere livor.
Spes & vota ultra ſuperi fecere beatum.
Infeſto me nunc verſet fortuna rotatu
Ut lubet: hac ſomnus vertigine claudet ocellos
Blandè accerſitus, nulla & mihi cura ſoporem
Excutiet deinceps, niſi quod me pungit Apollo,
Sollicitatque aurem vellens noctesque dieſque,
Pangere victuro LODOÏCI maxima facta
Carmine, quando illo jactat ſe Muſa Parente.
Sit ſcelus, heroïs, quo regnat vindice Pallas,
Immortale modis decus attentare caducis.
Ergo mihi ante oculos una obverſatur imago
Auguſti, vires addens ut vincere diros
Invidiæ morſus, Cæloque aſſurgere certem,
Arduum Epos fingens vivoque perennius ære.

Si mihi quod pulchro jam nunc mens parturit æſtu

Succedat, dignum Phœboque & Regis alumno;
Fas tibi, fas vanuſque, leviſque, ipſoque Chorœbo
Æternùm dicat veſanior, ulla cupido
Si poſthac animum incendens maleſuada, vel auri
Ulla ſitis ſpes blanda fovens me lactet inanem.
Meque extra jubeat vitam affectare beatam.

EPISTOLA VI.

AD

CLARISSIMUM D. D.

DE LAMOIGNON.

Cauſarum Regiarum antehac in Senatu Pariſienſi Patronum, nunc Præſidem inſulatum

SIC eſt, LAMONIDE, procul urbibus, abditus agro,
Curarum expertem videor mihi vivere vitam.
Angulus hic unus contrà aſpera cuncta tuetur.
Vin' tibi dilectam ſedem, mea regna, fideli
Carmine deſcribam? Vati labor ille voluptas.
Plurimus attollit juga ſe per mollia collis,
Immenſum unde patet latè proſpectus in æquor,
Ambitioſus ubi puro torrente ſuperbit
Sequana, rura ſecans, & per diſcrimina centum
Sectus agris, unus centum tibi flumina reddit.
Non tot Carpathio Sporades ſe gurgite tollunt,
Quot pater è medio miratur ſurgere fluctu
Cycladas, unde loco nomen fecere coloni.
Multa ſalix ripas circum, & nux plurima veſtit,

Sponte ſolo natæ, quas prætereundo viator
Aſſiduè vexare ſolet ſaxoque manúque.
Imminet his ſcopulo pendens, formamque theatri
Arduus oſtentans vicus. Non ulla redemtor
Hùc cæmenta vehit; ſciſſâ ſibi quiſque penates
Incola rupe ſecat, ſed enim hic ſunt mollia ſaxa.
Paulò ſplendidior domus eminet una Dynaſtæ.
Muro cincta, rubetque orientis lumine Phœbi,
Mons & obeſt ſævâ ne quid lædatur ab Arcto.

Hîc ego, Lamonide, liber, parvoque beatus,
Quot mihi Parcarum decurrunt pollice ſoles
Apponens lucro, campis modò ſolus oberro
Irriguis, libro intentus; modò mente volutans
Quod queat ad vitam compendia ferre beatam,
Sedulus utilium proviſor obambulo. Sæpe
Difficiles verſus cudens ſudante Minervâ;
Quod dudum vano conamine perſequor, ecce
Apprendo eluctans nemoroſa per avia verbum.
Interdumque hamo piſces captator ineſcans,
Perfidus ingluviem fallo. Dein bella per auras
Sulphuris incenſi auxilio plumboque volante
Indicens avibus, dum plaudunt nube ſub altâ
Aëra mulcentes cantu, certo eminus ictu
Dejicio. Miſcere juvat ſic ſeria ludo.
Accipit hinc reducem non divite menſa paratu,
Sed quam munditie commendat honeſta nitentem
Simplicitas. Dapibus quas villica ſtruxit inemtis
Condivitque fames, ſtomachoque obſonia fecit.

Bergerato

Bergerato melior, cum paucis veſcor amicis.
Nulla hîc Bruſſani curamus dogmata, ſanis
Quando nihil ſanum non eſt. Sine fraude Lyæus
Innocuas inter bibitur leniſſimus eſcas.
O fortunati colles! ô dulcia rura!
O molles umbræ nemorum! Diis ô! Domus ipſis
Digna coli. O utinam tot conflictata procellis
Vita mihi, hoc placido poſſit conſiſtere portu;
Et quod fata dabunt ævi ſupereſſe fugacis,
Exigere inſani citra commercia mundi;
Hoc lare ſolus agens, vel roſcida rura pererrans
Tunc unus ſuperûm factus mortalia temnam.
  Aſt ubi fumoſam ſors aſpera cogit in urbem
E veſtro migrare ſinu, vos florea rura
Deſerere: actutùm me mille negotia circum
Inſiliunt, ſævo circumſonat unda tumultu.
Hîc conſanguineo ſeſe malè fœdere jactans
Urget atrox, & adhuc coopertum pulvere ſævus
Vellicat, ut litem dubio quam jure tuetur
Perſequar adjunctus tutor: ſequor uſque trahentem
(Nec mora, nec requies) ocreatus. Eo duce luſtro
Purpureos proceres quotquot ſubſellia jactant
Egregios. Hic trans extrema ſuburbia longè
Inſanabilium attingit vicinior ædes;
Viſendus *Templi* conterminus *ille Paludi.*
Mille mihi intereà totâ narrantur ab urbe
Triſtia certatim de me, queis frigidus horror
Injicitur, gelidúſque coït formidine ſanguis.

T

Multus apud Regem de te fuit, ô bone, ſermo,
Et ſatiram culeo dixerunt & cruce dignam.
Quid ſuper his, LODOIX, aio? Rex optimus ore
Subriſit placido tacitus. Tibi dira minantur
Omnia quos nuper, cenſor licet æquus, inuſtos
Carmine luſiſti; princeps hos totus amaro
Felle tumens Prado extimulat, ſed & ipſe volumen
In te tartareum ſcripſit: convicia legi
Queis operi proludit atrox: ea nempè notavi
Multus ubi proſtat venalis pileus, uni
Eximio magnâ thecam circundate chartâ.
Unâ voce ſuper, crimen tibi plurimus Aulæ
Aſſecla impegit nuper. Te cominus enſe
Transfixum, totam modo jactat fama per urbem.
Diditur in vulgus famoſum Epigramma Bolæi
Nomine. Suſpicio Lupatâ verſatur in altâ
Scommate ferventem te conſcripſiſſe libellum.
Min' tu tale nefas? prorſus tibi; tota PHILIPPI
Atria non vano hoc de te rumore volutant.
Jam bis ſex fatis abiere volentibus anni,
(Hei mihi) cum famâ nimium felice volumen
Exiit, evulgans rudioris Carmina Muſæ,
Inde mihi clades fluxit, quam avertere Veri
Nec vis ulla, tenor nec vitæ candidus uſquam
Evaluit. Plebi inſulſæ ſum fabula factus.
Ecce tibi ſatiram ſtulto temerarius æſtu
Edidit in lucem nullo ſale ſcurra, facetum
Quem ſua garrulitas & cæca libido jocandi

Clarat apud fatuos ruris genialis alumnos :
Illa meâ , ut placeat, jactatur cuſa Minervâ ,
Réque meam verâ provincia credit ineptè ,
Nec prodeſt teſtes urbemque aulàmque vocare.
Nugæ , aiunt , ſed enim tua cognita forma canendi.
Quot tua Muſa dies dedit huic operoſa labori ?
Frigida nemo meæ ſapiens deliria Muſæ
Objectare auſit. Quò te mage deprimis , hoc te
Laude magis cumulas , tibi probrum cedit honori.
Sic ego , ſic curis quas undique conflat in urbe
Sors inimica mihi , malè tortus & uſque cruentâ
Anxietate lacer , nec dulcibus otia Muſis
Fallere ; nec doctas poſſum prenſare Sorores.
At mihi , LAMONIDE , veniæ tamen inde mereri
Nil queo , nec vulgi injuſtas compeſcere voces.
Nempè ſimul noſtras res proſpera fata ſecundant,
Sponte mihi Aonios tunc ſe recludere Fontes
Ilicet & Phœbum credunt ad juſſa venire.

En LODOIX , famæ ſi credimus , omnia ferro
Vindice diſturbare parat : jam fulminis inſtar
Ecce Valencennas irrupit victor in arces ;
Et quondam Hectoreæ ſcopulúſque & dedecus aulæ
Cameracum , faſtus dediſcere cœpit Iberos ,
Ex quo æquata ſolo tot propugnacula cernit,
Et ſtupet invicto vallatas aggere turres,
Victoris nutu ingenti cecidiſſe ruinâ.
Dicitur & cœſas ferro ſtraviſſe phalanges
Naſſavii , Audomaruſmque novo claraſſe trophæa

T ij

Aurelius. Proh quanta ſeges ſe vatibus offert!
Quàm pleno fluet Aonius tibi flumine torrens!
His mihi blanditiis malè palpum obtrudit amicus;
Hácque ætate putat tot fœta Heroibus, arte
Carmina ſic fingi, bello expugnantur ut urbes.
Inſolito mihi tunc areſcere vena ſtupore,
Et neſcire pari par deinde referre jocanti.
Sic linguæ, ſic vocis inops, tibi Gallia, ſtultus
Invideo partos ex omni gente triumphos.
Felix ô! nimium felix, vitare malignos
Qui cœtus hominum potuit; quem ſorte beatum
Exiguâ procul à vulgo tegit angulus; aura
Quem non afflavit tranſverſum vana fugacis
Gloriolæ; ſoli ſibi vivere lætus, & otî
Dividere arbitrio dulces inglorius horas;
Ille nihil fatuæ plebis ludibria curat,
Judiciúmve horret, plauſus aut ambit inanes.
At nos, nos miſeri vates, Permeſſide lymphâ
Pectora queis jam dudum, & laudibus ebria fervent;
Nobile ſervitium & faſtus tolerare malignos
Aſſueti, ſimul ut collum præbere capiſtro
Cœpimus, haud ullâ nos eximere arte valemus.
Quò ſemel ingenio clari pervenimus, inde
Non niſi funeſtâ latéque ſonante ruinâ
Excidimus, ridet vulgus ſuperâ arce cadentes:
Et quos tot docto ſudati marte labores
Ditârunt, noſtri tædet niſi mira ſubinde
Edamus. Quatit aſſiduo nos fulmine cenſor.

Attigimus poſtquam ſummum, contendere pennis
Nos premit ulterius plebs putida; ſontica nec nos
Solvere cauſa poteſt; revireſcere Muſa jubetur
Nix poſtquam capiti acceſſit, viréſque ſolutæ:
Tempore decreſcunt tamen omnia, mî quoque ſulcis
Cui faciem nondum rugavit fœda ſenectus,
Phœbæâ fervere minus præcordia flammâ
Experior; nec jam molli niſi ſtratus in umbrâ
Altorum nemorum, cum ſola immurmurat aura,
Sentio vocalem per amica ſilentia Muſam.
Namque per occultas, quâ rara eſt ſemita, ſylvas
Quando errare animum tangit nunc una voluptas,
Jam nequeo populo tritos inſiſtere calles.
Vos mihi, vos, inquam, ſylvæ ſaltúſque profundi,
Vos modò præſentem datis in nova carmina Phœbum.
Villula cui cordi eſt, huic magna Lutetia ſordet.

Ergo, Lamonide, fuge quærere cur mihi tota
Æſtas, urbe procul, procul & Te, dulcis amice,
Irriguos inter lucos exacta, furentis
Lenierit rabiem Canis & momenta Leonis.

At Te, Lamonide, heroum cui ſanguine ducta
Nobilitas, ſtimulos titulis potioribus addit;
Cui largè exundans & pleno dives ab alveo
Vis ſalit eloquii, mentes evincere certa,
Purpura cui virtúſque novos circumafflat honores:
Te Te, inquam, decet in medio dare jura Senatu,
Te pleno regnare foro, legeſque tueri,
Patria Te poſcit totum, Themidíſque tribunal,

Te cives Patrem, puerique parentibus orbi
Ultorem appellant, & quæ Te judice dudum
Ad Styga deſcendit ſcelarata libido nocendi,
Non prius abſentem reginâ ſentiet urbe,
Quam caput attollet, viréſque repente reſumet:
Nec potis ipſa Themis, niſi Te duce cernere rectum.
Aſt ego quid vates, quid civis inutilis urbi,
Quid conferre queo nugis & Apolline plenus?
Me ſaltus, me prata, levi me lympha ſuſurro
Aſſultans, rapit illecebris; ſine ſtratus in umbra
Ducam ſollicitæ jucunda oblivia vitæ,
Aſpirent donec Septembres mollius auræ,
Et Cereri, lætis gaudens Pomona viretis
Succedat. Tunc cum maturæ vinitor uvæ
Exultans canet injuſto ſub faſce Lyæum;
Tempore non alio cives, urbémque reviſam,
Indè Bavillæum duce Te fugiturus in agrum:
Tandem lætus ibi, grata ocia quæ ſemel annus
Pomifer indulget feſſo, Tecum, Optime, captans;
Sæpè alacer tua pone legens veſtigia, quamvis
Flectere quadrupedem frænis indoctus, amico
Ante equitante tamen greſſus glomerabo citatos:
Nunc ambo vacui curis in gramine molli,
Purus ubi leni per valles murmure ſerpens
Exultat rivus, quem dives aquis Polycrene
Fonte creat, lætoſque uberrima fundit in agros,
Quæ natura boni, quæ recti ſemita, virtus
Vera quibus ſe præſidiis ſuſtentet (id unum

Quando animo curæ eſt) quâve arte paretur, agemus;
Moribus innocuis utrum ſanctóque tenore,
Immortale decus famæ quæratur, an altì
Dotibus ingenii, cui fontibus hauſtus ab ipſis
Doctrinæ lepor acceſſit veríque peritus:
Vir probus an cunctas vitiorum exſcindere fibras
Debeat atque omnes omnino abſtergere nævos.
His me, LAMONIDE, ſtudiis Tecum uſque tenebis,
Rure Bavillæo. Felix niſi turba repentè
Importuna virûm, ſtrepitu temerè omnia miſcens,
Ad triſtes nugas abducat & otia turbet.
Scilicet innumeros inter quos undique clarum
LAMONIDÆ nomen, terris & didita fama
Húc ciet, interdum ſerò expectantur amici
Quatuor ad ſummum, triplici cum ſe agmine fundit
Irrumpitque cohors, cultu officioſa moleſto.
Heu fuge! ter felix ſi ſe ſpelunca Tibi offert
Devia, quò nequeant Te veſtigare latentem.

EPISTOLA VII.

AD

CLARISSIMUM D. D.

RACINE.

PROH quàm grande ſonat facundi voce Tragædi
Muſa tibi, attonitæ ſuſpendit & agmina plebis,
Gaudia nunc ſpirans, nunc miſcens corda tumultu,
Nunc habilis mentes ſeſe extra abducere raptas!
Sanè Agamemnoniæ non luxit fata Puellæ
Græcia tot lachrimis quot Cantimella cothurno
Elata excivit, referens uno Aulide cæſam
Nomine, dum auguſto celebratur fabula ludo,
Undique cui rauco ſubſellia murmure plaudunt.
Sed tua Melpomene quamvis ſibi pectora ſubdat
Flexanimâ arte potens, tamen ô! ſpes paſcis inanes,
Omnia ſi ſpondes doctæ ſuffragia Muſæ
Adfore. Racini ſic optime res habet, inter
Noſtrates, ſimul ut ſe quis ſubducere vulgo
Inſuetum per iter contendit Pallade dextrâ,

Undique clamoſo tum ſeditioſa boatu
Factio ſe tollit. Livoris fœta veneno
Turba virûm crocitat paſſim. Nempe illa malignos
Lux oculos lædit: ſed & ipſi pectus amici
Infeſtum gerere incipiunt, fulgoribus icti
Ægreſcunt. Una in terris compeſcere diros
Invidiæ morſus, magnis virtutibus æqua
Una poteſt læſo decus & vim reddere Vero
Mors opportuno poſt fata noviſſima caſu,
Ulciſci felix & grandia nomina Vatum,
Et juſtâ egregios componere lance labores.
  Ante brevem anguſto quam Parca includeret antro
Molerium, precibuſque locum mercata ſepulcri,
Cogeret humanis æternùm abſcedere rebus;
Aurea tot quæ Muſa dabat tunc divite venâ
Carmina, quæ ſanâ nunc mente ſolemus ad aſtra
Tollere, felle madens non deſtitit inſectari
Et lacerare probris cenſura injuſta malignis.
Ingenia hocce nefas male conjurata fovebant.
Tum quæ Melpomene divino inſtincta furore
Dictarat, bene conſultus ſimul ut dare luci
Cenſuerat Vates, naſcentem extinguere fætum
Auratâ fulgens in cyclade fœmina princeps,
Plurimus & Tyrio conſpectus Marchio in oſtro
Certabant; mentes inſania fædus & error
Ut verſant, (dictu miſerabile!) pollice verſo
Splendidiora Viri quæ cultu cunque nitebant,
Carpere delirans ſententia; nunc Comes aſper

Increpitans, Actum ſe proripere ante ſecundum;
Nunc minus exactâ ceu conſtet fabula ſcenâ,
Voce queri indignabundus Melitenſis acerbâ,
Alter & addictus ſectæ cui ſplendida fuco
Impietas ſimulat pietatem; vel cruce dignum
Vel culeo Vatem cenſere, quod illa ſit auſus
Deſignare palam velo portenta remoto.
Marchio deinde ferox & pugnax arma minari,
Poſtpoſitam Orcheſtræ ulciſci dum deſtinat aulam.

Aſt ubi ferrea lex, & inexorabile fatum,
Funeſtâ nobis divinum ſorte Poëtam
Invidit, quantùm ingenio, quantùm arte valeret
Muſa Viri, extincto clare deprehendimus aſtro.
Hoc caſu perculſa dehinc Comœdia vix ſe
Erexit, nervos & vocem luget ademptam,
Nec potis ægra ſuo ſe ſuſtentare cothurno.
Conſtitit hactenus hac nobis res Comica ſorte.

At tu, cui Tragico ſublimis pegmate ſurgens
Muſa, Sophocleæ referens ſpectacula pompæ,
Una feneſcentis ſolamen idonea nobis
Et dare Cornelî, lauri immortalis honorem
Parturit, exſuperans Franci mille inclyta Pindi
Ingenia, hîc, inquam, tu me, Bone, ſedulus audi.
Deſine mirari ſi livor dente maligno
Rodere te, & nigro malefæta calumnia felle
Inficere aggreditur, ſuperûm id ſapientia Regis,
Cuncta regens ſano moderamine, temperat, & ſic
Conſilio inducit quod ſit magis utile recto.

Sæpe putri virtus torpet corrupta veterno.
Invidiæ ſtimulis, æſtro ceu percita magni
Vis ſæpe ingenii ſublimibus ardua pennis,
Se tulit ad pulchræ ſuprema cacumina laudis.
Quò premere arte magis contendimus, hoc mage dotes
Exerit audaci niſu. Concuſſa tumultu
Atque importunâ vexata Chimena procellâ
Parturiit Cinnam; fors, & fas dicere, Burrhus
Ille tuus ſic flore nitens, & Appolline dextro
Compoſitus, debet Pyrrhi cenſoribus ortum.
Sane ego cui nomen ſpatio breviore niteſcit
Incluſum, radiis & gloria ſegnius urens
Lumina pallentis miſero livore catervæ;
Sed cui fervidior jamdudum ſpiritus, & mens
Ferre jugum indocilis, mirum! conflavit amicos
Oſores, qui me majori fruge beatum
Ditarunt, tenuis quàm vana induſtria Muſæ,
Gallia quam laudat plus æquo. Scilicet acres
Quo mage deprehendi funeſtam effundere peſtem,
Hoc magis attentâ rexi veſtigia curâ.
Quin, ſimul ut chartis animus quid prodere geſtit,
Ilicet occurrit vigil obtrectator oberrans
Plurimus, adſpectans quâ lethifer arte nocere
Sit potis. Hinc lucro ſolers apponere ſævos
Latratus, morſuſque importunoſque furores,
Conſiliis uſque auſcultans, errata retracto.
Quod vitii carpunt hoc emendare laboro,
Nec niſi ſanato mihi dicta refellere morbo.

Cura fuit ; quò me violentius hoſtis iniqui
Impetiit livor tendens impingere dentem
Immerito, pulchrâ ut memet virtute tuerer
Hoc magis incubui ; ratio hæc fuit unica ſemper
Vindictæ. Nemeſin tibi, ſi ſapis, aſſere eandem.
Exemplo docilis, dum te male ſana procaci
Turba Poëtarum vexat clamore, Camænæ
Affectans violare decus, convicia fortis
Deſpice latrantum, vanam crocitare cohortem
Corvorum ſine, nec te odia hæc crudelia turbent;
Et jocus & lucrum tibi ſit veſana furentum
Factio. Quid poſſunt, age dic, ſic rauca crepantes,
Infeſtare tuam maledicta per irrita laudem ?
Quidquid te contra vecors inſcitia tentet,
Hoc noſter Pindus per te illuſtratus, abundè
Diſcutiet, doctæ æternùm ſua præmia Muſæ
Aſſeret, & juſto vindex examine, gentis
Venturæ tibi cuncta dabit ſuffragia victor.

Poſtera quid de te, Racini, ſentiet ætas,
Cum Phædram aſpiciet fato domitore ſubactam;
Inceſtis facibus genio obluctante calentem,
Immerſam lachrymis, nondum virtutis inani
Pectore ducentem ſuſpiria ? ſera quid, inquam
Poſteritas de te non mirabundâ loquetur !
Quâ non laude vehet felicia tempora quæ te
Authorem tantorum operum genuere ? Beati
Franciadæ, vatem qui Phœbi numine plenum,
Atque habilem auguſtâ dare tot ſpectacula pompâ,

Conſpexere virum, famâ ſuper æthera notum.
Interea, quam blanda ſui dulcedine cantus
Melpomene irritat cenſorum turba, tumultu,
Ut lubet, inſano circumſtrepat. Haud mihi curæ eſt
Noſtra an Perrinus, vel Jonæ frigidus author
Carmina miretur, Lodoicum dummodo Magnum
Delectent, Cantiliaco Condæus & illa
Rure probet, legat Enguienus, Colbertus, & unâ
Vivonides, Rupifucaldus, Marcillacus, & tu
Pomponi, dein mille alii comprehendere verſu
Quos hîc Muſa nequit, ſibi pectora demulceri
Carminis illecebris uſque experiantur. At illi
Et Montauſerius faveat ſi pollice dextro,
Quanto ſublimem ſe tollet Muſa triumpho!
Hos ſibi fautores ambit, ſors vertitur illis
Judicibus; ſed quæ craſſo mihi plurima limo
Ingenia occurrunt pingui & compacta minervâ,
Cuncta admirari præfervida quæ parit æſtu
Præcipiti & luxu vano ambitioſa Poëſis,
Hæc jubeo plateâ, Balathronis ubi ardua magni
Pulpita ſe tollunt, ſibi ſedem figere, ut illic,
(Dum Muſam quærunt numeroque ſonoque carentem)
Doctos Pradonis fœtus mirentur & artem.

EPISTOLA VIII.

AD

LUDOVICUM MAGNUM.

PARCE tui victor, Lodoix, cumulare triumphos,
Aut artem abjicio; ſatiram dediſcere certus.
Nil quam mirari, nil quàm laudare Camœna
Jure poteſt, te Rege, ſtylo laus competit una.
Nunc illo qui me ſibi ſubdit fervidus æſtu,
Argutæ numeros Odes contexere tendo,
Nunc ſpirans majora, audax Æneidos author,
Arduum opus meditor quâ poſſim induſtriùs arte
Perficere: expugnat mentem furor entheus ægram
Scilicet, & placitis dum luditur ebria curis,
Experior Vati latices areſcere ſacros,
Inque dies mihi degenerem ſterileſcere fundum.
Nempe parum gratum ſudat dum Muſa laborem,
Nil parit heroi laudis, ſibi dum parat ingens
Dedecus, & ſalſis Pindi fit fabula alumnis.
Saltem ſi virtus hæc bellica, vindice ferro

Cuncta metens, annum fulmen ſuſpenderet unum,
Fors tantilla moræ requies queat iſta vigorem
Reddere tentanti nervos expromere, lethumque
Excutere, & ſarcire novâ diſpendia fruge.
Non eſt noſter adhuc labis nec criminis expers
Pindus, habet quo ſe cenſoria virgula latè
Expediat, nec deeſt mihi copia carminis hujus,
At te victorem ſectari nulla facultas.
Vix tibi Dinantum & Limburgum marte ſubacta
Ceſſerunt, cum nos Condate Bochaniumque
Expugnatæ arces ſubitò, nova carmina poſcunt.
Te pulchræ laudis ſitientem, avidumque pericli,
Gloria perpetuo victorem fæta triumpho
Uſque comes ſequitur, bellique per ardua cuncta
Expedit: hinc tibi ſæpe die Mars parturit uno
Plura, labor noſter longum quàm fuſus in annum
Sit cantare potis vel fultus Apolline dextro.

Quod ſi Verſalias, populi devinctus amore,
Redditus ipſe tibi repetis, quatere oppida bello
Feſſus, & armatas in bella agitare cohortes:
Pacificis importunus virtutibus illic
Attonito mihi mille micas, propiuſque tuentem,
Major adhuc Lodoix radiis inſignibus urit.
Illic deliciis indulgens nobilis otî,
Non minus heroem præſtas quàm cum aſpera Martis
Inter terrificos exercet pugna fragores
Indomitum; Hectorei ſuſtentas munia Regni
Innumera, & tibi mens unus, das jura laboris

Immodicus. Florent artes te vindice, Patrem
Largus opum te MAGNE, geris, ſed & imbribus aureis
Vel criticas decorant largè tua dona Camænas.
Crede mihi ô LODOIX, arte hac plus te geris æquo
Munificum. Nigrum vitiis infigere theta
Nos docti à Genio, & mordaci radere Vero
Auriculas vulgi, nos Vates ſcilicet ohe
Ut ſimus queruli nos finxit ſorte Prometheus
Abnormi. Si quis nos maceret, haud erit ille
Culpandus ſubitò. Nimirum ſæpe Camænas
Deſidiâ frangi, & turpi languere veterno
Deprendas, ſtimulus ſi deſit pungere felix.
Exerit his lentum videlicet una vigorem
Ira calens ſtomacho, mens frigore ſtringitur, & nil
Grande parit, grates tantummodò ſolvere ſi lex
Urgeat officii; ſed pulſat ſcita querelam,
Ne dubita, ô LODOIX, cum bilis in hepate turget.
O! mihi Francigenûm ſi tempore vivere Regum
Fas fuerit, ſua quos ſocordia menſque ſiniſtra
Finxerat apprimè dociles ſervire Miniſtris;
Quos nemo Hectorei moliri vidit habenas
Imperii, rerum geſtarum nominis uno
Indicio teſtes, ſine mente & pondere larvæ,
Nec mihi lex iſtæc nimirum operoſa, nec illis
Tunc fuerit. Proh! quàm fœcundo gurgite dives
Sponte latex Vati flueret Permeſſidos undæ.
Te Rege aſſiduus labor eſt & cura perennis
Plaudere,

Plaudere, ſydereoque oculos intendere olympo,
Dent ſuperi ut noſtræ propria hæc ſint munera genti.
Ille ego ſic quondam nigro ſale inurere durus
Et ſtudia & mores, nunc ut te, maxime Regum
Intueor, mihi ſtat mentem affectare benignam:
Candidulus ſcriptor ſtimulos iramque remitto.
Abſolvit totam Lodoici gratia Gentem.
Parcere ſic ſæclo ſed cum mens optima ſuadet;
Interea paſſim ventoſo turgida faſtu,
Et ſecura mei regnat Pharſalia celſam
Cervicem tollens impunè, licentia ubique
Infeſtat domitatque animos, ratioque ſevera
Exulat, & ſenſus perverſo more ſiniſter
Jam meditatur Epos revocare, & reddere magnos
Heroas ſcenis exploſa Poëmata dudum.
Illa etiam vitiat vel ſcripta Academica labes.
Carminibus, Perrine, tuis cenſura pepercit,
Magne Prado, Francum ceſſit tibi præda Theatrum.
Non vacat his ſtudiis incumbere jam mihi dudum.
Unum opus incumbit nunc concinnare volumen,
Quo tua vel ſero immortalia facta nepoti
Prodantur, legeſque tuæ, & tua ſpiret imago.
Illa ſibi curas omnes animique vigorem
Et ſtudium addicit Lodoici gloria; jam te
Nil præter, Lodoice, meis ſe ſenſibus offert.

Nec tamen ille habitus mentis ſtudiique flagrantis
Spiritus, eſt precio nummi quæſitus emacis.
Mancipii caput hoc devotum, Maxime noras

O Lodoix longè ante tui quàm me aura favoris
Afflarit, victrix erupit flamma, ſuique
Impatiens æſtus, cohiberi neſcius, unum
Spirabat Regem, plectro pulſare voluptas
Una mihi nomen Lodoici; norma Poëtis
Scilicet obſequii, dux, & lex eſt amor unus.
Illo Calliope docuit laudare Magiſtro,
Vel dum cenſuræ tractabat amarior artem.
Sed poſtquam ſubiit donis opulentia Vati,
Magne, tuis, inopem hæc (fas dicere) copia fecit
Calliopem; Quin & ſcribentem ſæpe remordet
Legitimus curæ ſtimulus; Pluti aurea turbat
Sollicitam facies occurſans, ſtringit inerti
Frigore, vel Phœbi propioris dum calet æſtu.
Ut pretium acceſſit ſcriptis, merceſque labori
Addita, cæperunt Muſæ vileſcere fætus,
Et thuri fædo decreſcere gratia nummo.
Quàm vereor ne nunc Regali munere dives
Incedens, orbi videar data præmia palpo
Corruptus quæſtu, conferre ad vile probroſus
Servitium, & gratum Regi modò ſolvere cenſum,
Dum ſic præclarâ incenſus præcordia flammâ
Indomitus præco Lodoicum ad ſydera Magnum
Laude veho meritâ. Fors & (ſic inquio mecum)
Hæc mea apud ſeros precio leviore nepotes
Carmina erunt, ut me cenſebunt Regis alumnum.

At tamen hanc quæ me vexat ſic turbida curam
Excuſſâ mentis nebulâ compeſcere promptum eſt.

Si cunctis tua quos plenâ ſapientia fruge
Orbe beat toto, vetitum eſt tua, Maxime, facta.
Pangere; legitimum, dic ſodes, munus obire
Quis poterit, veræ & mercedem ſolvere laudi?
Ah quantò ſatius plectro ingeminare ſonoro
Concentus! amor ingenium eſt & copia Vati.
Ille mihi toties exemplum & norma canendi,
Bilis & indomitæ ſine fine vaporibus æger
(Eſt noſtrum hoc itidem, morbi genus) optimus ille
Flaccus ut ardebat petulanti ſplene, Camænam
Arceſſens ad opem, ludebat carmine, ſenſa
Confidens animi Chartis, agitanſque cachinnos.
Ille tamen, cui ſic eſt pictus Tullius ater,
Æternâ qui dedecoris te labe, Tigelli,
Infecit, Glyceram domuit nihilominus ille,
Delicias orbis Auguſtum pectine dextro
Argutus cecinit, numeriſque ſtyloque beatus.
Laudis iter Flacco ductore capeſſite vates
Exemplis dum ſe ſic barbitos acriter urget
Nobilibus, nervoſque intendit docta loquaces,
Ut te, Magne, canat, rupes dulcedine blandâ
Auritas fieri putat, & ſe ſede movere
Ad numeros Muſæ, ſimul & ſibi deforenunquam
Carmina inexhauſto de fonte Aganippidos undæ;
Sed Lector vellens aurem ſic admonet, ohe
Sic tibi blandiri jam deſine, viribus impar
Mille modis Flacco es. Tibi dos eſt unica fervor
Ingenii effrænis, petulanſque audacia Muſæ,

Cui cedat Perſî & Juvenalis ſpiritus atrâ
Bile calens; ſed ſi demiſſum vana libido
Urget adulari, Pinchenius haud tibi diſpar.
Ecqua ſubit ratio quâ dicta refellere poſſim?
Me victum experior, nihil ultra tendo pudore
Obrutus, & prorſum Vero victore ſubactus
Admiror, ſileoque ſtupens, hîc terminus hæret.

EPISTOLA IX.

AD CLARISSIMUM D. D. DE SEIGNELAI,

Sanctioris Conſilii Quatuorvirum.

SI bene te novi nunquam laudator ineptus,
Purgatam, Colberte, tibi permulceat aurem.
Jactat adulator nequicquam garrulus artes
Dulciculas, & dum extremos parat irrita ſudans
Ferre tibi nomen palpo maleſanus ad Indos;
Fruſtra te laqueis catus irretire doloſis
Speret inane canens. Tibi ſcilicet undique tuta
Protinus erumpit, victrixque recalcitrat uni
Auſcultans Vero virtus. Nempe omnia diſpar
Omnibus his quos dulce ſonans facundia vanos
Decipit illecebris & ineſcat blanda ſupinos.
Nimirum æthereæ ſimul illos Serreus aulæ
Inſeruit, fecitque Deos, tunc ſidera plantâ

Cœlicolas calcare juvat, terraſque jacentes
Deſpicere, & radiis caput oſtentare coruſcum.
Non ita te ſtolido male frangit gloria plauſu,
Nec ſic proſtantis connives thuris odore.

Non quod te duri finxiſſe Promethea credam
Pectoris, indomito qui circûm robore cinctus
Dextrè palpanti mente obluctcris ahenâ,
Et furcâ trudas qui docto induſtrius ore
Te canat, & florum dum munere ſobrius ornat,
Mulceat argutâ captos dulcedine ſenſus.
At cui Muſa rudis, nec dum thus ſpargere cauta,
Sæpe parum dextro dum condit Apolline carmen,
Heroi frontem incuſſâ percellit acerrâ,
Monterei captâ celebrat decus Aldenardâ,
Et pulſum Ducibus Germanis deinde Turennum
Venditat infelix; nec enim laus ficta morari
Aut mulcere poteſt incoctum pectus honeſto.
Forte tuum ſi quis Genitorem ambire paratus,
Pingat ſanguinei ſævum Mavortis in armis
Funera ſpargentem, vel clavâ monſtra domantem
Herculeâ, proprio quem gloria cingit honore
Conſpicuum & radiis ſua virtus inclyta late
Spectandum populis prodit, dum munera mille
Irrequietus obit, Regique impendere promptus
Grandem animam, decora Hectori vigil ardua ſceptri
Suſtinet, egregiiſque parens decus artibus addit.
His ſtudiis Mecænatem qui reddere curat,
Pelidæ ſimilis ſi deſcribatur Achilli,

Protinus ille nihil vanis fulgoribus æger,
Attonituſve animi, LODOICUM agnoſcere poſſit,
Atque uno abſterrens oculorum fulgure Vatem,
Aonios latices æternùm areſcere cogat.
Qui ſapit, ut par eſt, ſatis huic, mihi crede, ſupellex
Eſt ſua, nec cupit alterius ſplendeſcere cultu.
Ecquid enim prodeſt ſi me laus putida ſanum
Et ſucci egregium commendat, ubi intus anhelum
Flamma vorax coquit, atque oculos crudele rubentes
Acribus accendit ſcintillis luridus ignis?
Nempe nihil pulchrum eſt niſi Veri è fonte petitum.
Vero uni ingenita eſt animorum gratia victrix.
Ipſa etiam pulchro tingatur fabula Vero
Si quid fingere vis. Vero ut ſua gloria conſtet,
Scilicet arguti condunt mendacia Vates.
Dic quianam Francas mea carmina ſparſa per urbes,
Deliciæ Regum & vulgi, celebrantur ubique?
Illa, fatebor enim, numero plerumque, ſonoque
Inconcinna fluunt. Ibi enim ſententia legem
Præterit atque modum non rarò, audaxque ſolutis
Muſa metris exultat, & æquore ludit aperto.
Aſt eadem Vero inprimis victore triumphans,
Prodere ſe geſtit, præcordia & intima, larvâ
Rebus detractâ, invadit. Sua præmia laudi
Calliope juſtâ exæquans jura omnia lance,
Dividit, & pœnas ſceleri, de culmine ſummo
Deturbare audax Fatuum, & calcare jacentem.

Dux animum ratio regit, & moderamine tractat
Invicto, nec quid chartis arguta legendum
Mandat, quod ſecum non multâ excuſſerit arte.
Emicat, erumpitque audax ſe prodere luci
Oportunè importunè ſententia frugis
Plena, beatque animos miro ſermone ſtupentes.
Non ea laus Jonæ, non eſt ea Childebrando,
Non ea ſtat vobis vanorum frigida vatum
Ludicra laſcivæ figmenta incondita Muſæ,
Indicule horarum quas dulces cunque cupido
Aut infelices habet; & tu gaudia plebis
Inſulſæ Speculum, & quos deliravit Amores
Païſius, quibus adjungunt ſedeinde, gemellus
Fœtus, Amicitiæ, queis nomine conſtat in uno
Gratia; nempe crepant nil ſanum cætera, quamvis
Turgeat immodico facundia ſplendida luxu.
Sed me fors vanis ludit mens ebria nugis,
Atque ſuo vati palpatur amabilis error.,
Quiſque ſibi blandus parcit. Nunc te excute, Muſa;
Nil tibi condonans. Nemo eſt adeo integer uſquam
Atque animi rectus, cui non quandoque ſiniſtra
Offundat tenebras ratio. Nam recta docenti
Naturæ nunquam non pravi obſiſtimus, & ceu
Nos noſtri pudeat, peregrino cortice tectos
Ire juvat, frontique alienam inducere formam.
Diſplicet hac ipsâ vel qui ſit candidus arte.
Ingenuam nemo faciem non frangere certat.
Nunc (viden) ut cunctis os cætibus importunum
Ille

Ille infert, meritò quem qui ſapit omnis abhorret,
Inſulſo ſermone gravem, æternùmque dicacem.
Non rudis ille quidem ingenii, verùm indole triſti
Tardus, inerſque, jocos ſectatur numine lævo,
Et male feſtivus laſcivit, ubique venuſtos
Dulciculo affectans ſermoni aſpergere flores.
Quò riſus venereſque, inconceſſoſque lepores
Sectatur magis, atque ſuâ ſtudet arte placere,
Hoc magis eſt odio, vel dum eblanditur amorem.
Simplice ducuntur mortalia pectora Vero.
Mollibus illecebris bullati blæſa puelli
Lingua ſcatet, dum ſenſa animi balbutit, & infans
Simplicitas hæret, certis diſtinguere ſignis
Neſcia quæ tacito mens dudum parturit æſtu.
Dum mihi concinnas ficto commenta colore,
Protinus invadunt me tædia, ſenſus inanes
Ad numeros torpet, ſed ubi ſplendeſcere Verum
Incipit, huc animum rapit imperioſa voluptas.
Cuncta trahit facies Naturæ, non opus illi
Illecebrâ; ſi quem ſtomachoſum dædala finxit,
Difficilemque animi, genii plerumque libido
Illa placere potis; ſua cuique eſt gratia formæ
Nativæ, pravum facit ingratumque coloris
Mentiti dolus ingenuo ſuperadditus ori.

Qui cunctis niveo morum candore placebat,
Et quamvis ſale doctrinæ nil tinctus, ubique
Gratus erat, nuper Sophiæ ardua culmina captans,
Obcurâ nitidam infuſcat caligine frontem,

Atque ſupercilii nube omnibus imminet atrâ
Horridulus, pulchras nil præter Apollinis artes,
Nil præter verſus crepat; & quos ſibilus urget
Scriptores, illos vindex ulciſcitur, acer
Exprobrare viris quod deteriore palato
Optima putiduli fugiant; ſymphonia nec quid
Lulliadæ cordi eſt; nihil illum ſcena moratur
Regifico luxu, buccâ modò captat hiante
Quinaltî verſus, nihil inſuper; omnia cenſor
Suggillat, numeros ſi tollas; ſic ubi tendis
Emendare tibi quod pravum inoleverit olim,
Tu te deterius vitias, gravioraque peccas,
Naturæque malâ vultum inficis arte doloſus,
Quæſitæ ſtudio doctrinæ inſcitia præſtat.
Nunc repeto, una poteſt rebus decus addere Veri
Forma, diu nulli vivax ſua gratia ſtabit
Illita pigmentis. Nequicquam extundere tentas
Ingenio mihi quod placeat, nil dulce voluptas
Ulla dabit ſtudio dudum arceſſita profundo.
Una animum tangit ſinceri induſtria cordis,
Gaudia vera fluunt puro de flumine nata
Pectoris ingenui. Viden'ut ſe venditat inter
Regales epulas, & Maſſica paucula ſcurra
Uvidus. Arguto quæ fingit garrulus ore,
Quò ſcenam exhilaret, gypſo ſunt omnia plena.
Hic merus eſt fucus, viget illâ morio ſcenâ,
Hoc tantùm: nam ſi deſit ludo ille theatri
Plauſus, humi ſerpit vecorde tenebrio turpis

Pectore, vile caput ſordes nil præter & atrum
Lurconem dabit, horrorem ſibi reddita frontis
Incutiet ſpecies. Mihi ſimplice candida cultu
Forma animi arridet, quæ quò mage cognita, dulces
Hoc magis illecebras puroſque accendit amores.
Sic Virtus oculis nil conniventibus una
Audet ſe ambiguæ ſpectandam prodere plebi.
Contra ſe vitium gaudet celare tenebris,
Nec niſi perſonâ & peregrino Syrmate prodit
Velatum. A noſtro candor ſic abſtitit orbe.
Olim gens hominum ſine lege & pignore, Recti
Uſque tenax, duro vitam tolerare labore
Docta, nec inſidias nec fraudum noverat artes.
Nec dum Normanæ perjuria cognita genti.
Nec quiſquam verbis laqueos innectere ſolers,
Concinnabat adhuc mendacia ſplendida Rhetor.
At poſtquam faciles falli decepit opum vis,
Atque nocere ſibi frangentes ſæcula luxu
Divitiæ molles docuerunt, Fucus ubique
Protinus innocuos mores infecit adulter.
Nemo peregrino niſi ſplendidus ora colore
Poſſe placere putat; tunc & ſe turgida faſtu
Inſano fortuna ferens, cervice per urbes
Elatâ graditur, pompamque oſtentat inanem.
Tum quiſque illuſas auro ſibi ſumere veſtes,
Et tunicis adamas grandeſque micare ſmaragdi,
Atque incendere Sarranum carbunculus oſtrum.
Mille novis ſaturata modis mutare colorem

Lana ſuum didicit, precioſaque vellera Seres
Vix agnoverunt mendacibus oblita ſuccis.
Nulla fides, fulvi hanc pepulit ſitis ægra metalli
Erigit aſſuto ſe Virgo puſilla cothurno.
Manè viris laqueos pellex & retia tendit,
Et minio frontem ſibi ceruſſâque nitentem
Componens, flores alienaque munera mendax
Venditat. Ad nutum pallens ignavus herilem
Aulæ aſſecla, jugum domitâ cervice cruentum
Induit, & totum ſeſe exhuit, ire figuras
Cereus in varias. Dolus, error, & impia fraudum
Conſilia orbe volant toto; ſed & obſidet ædes
Vilis adulator paſſim, fœduſque pudendis
Obſequiis palpo magnatum munera captat.
Monſtrorum ipſe ferax imprimis Pindus alumnos
Protulit innumeros, qui fingere vana periti,
Somnia fuderunt multâ damnoſa Papyro.
Hinc tot Muſarum partus, iter ardua cœlo
Rumpere amans Ode, Sonus & cui numina fecit
Blanda Poëmation, bis ſeptem verſibus arctè
Incluſum. Inſanis hinc turgida Epiſtola nugis,
Et numeris vinctum ſtata per divortia certis
Incedens carmen. Quæ parturit omnia dirâ
Audax ſæpe fame venter, quibus omnis inani
Laus viget in Rhytmo argutis tinnitibus aures
Dum pulſant, vaniſque modis inſulſa recurrunt,
Luſcus ubi & fœdus ſanie ſtillantis ocelli
Luce ipſum ſolem vincit nihilominus Heros,

Nec tibi finge tamen dum vanus talia jacto,
Frivola me thuris Virtuti dona negare.
Non ita me finxit meritæ male laudis avarum
Rex Superûm: ſedenim ſine nervis frigida languet
Calliope, pulchrâ ſcateant niſi carmina laude.
At laus illa nihil niſi Vero fulta niteſcit.
Ingenuo laus inprimis ſit blanda decore,
(Sic tecum reor) ut placeat; tum commodus aurem
Ipſe dabis, vultu & Vati arridebis amœno.
At qui te, Colberte, velit laudare, ſupremi
Culmina non opus eſt celſus tranſcendat Olympi,
Semina quò laudum eliciat: canat ille probatam
Virtutem populis quos ſol cunque aſpicit, orbem
Dum vagus illuſtrat. Mentem ratione ſeverâ
Compoſitam, quam cana fides in cardine Recti
Immotam fixit, candoris amabile pondus,
Omnes officiis ſibi devincire paratum;
Noſtraque ſollicitum tutari lilia pectus,
Et magno Regi vigiles impendere curas.
Congenitas dotes nimirum, & ſanguine puro
Incoctas, aluit quas & Pater optimus arte
Eximiâ. Sanè quem ſic pinxiſſet Apelles
Simplice conſpicuum formâ puroque nitore,
Artifici ille ſuo non reſponſaret acerbus.
Ipſe etiam decus Heroum, Mavortis alumnus
Condæus, quem non magis eſt experta tremendum
Flandria quàm vates rudis experiatur inani
Fuco aſſentator; non dedignabitur, inquam,

Condæus, ſi quis felix extundere carmen
Egregium, pulchro coopertum pulvere pingat
Ægide terribilem, & lapſantem in ſanguine cæſi
Militis; & dum ſe Seneſi ſpectabit in alto
Aggere ſpirantem flammas, quà denſior horret
Telorum ſeges, atque vomit glans ferrea mortes
Crebrior, haud tetricâ damnabit fronte tabellam,
Quam quis Vetturio ſimilis, ſimiliſve Malherbo
Obtulerit; ſed tu longè fuge qui ventosâ
Frigidus ampullâ laudes male ſalſus ineptas
Heroï obtrudis, fruſtra quod Stentora vincat
Arduus inclames, Mundi Decus, Inclyte Princeps,
Sol O! magne Ducum, nulli virtute ſecunde,
Hæc ſatis. Haud curans ſi quid canat altera ſanum
Pagina, blanditias operoſi carminis Heros
Protinus abjiciet, famuli quibus ocia fallant,
Et Pacoletus faciat ſibi gaudia ceſſans.

EPISTOLA X.

AD

SUOS IPSIUS VERSUS.

Ndociles flecti monitis, ite, ite Libelli,
Noſtræ Calliopes labor ultimus, ite ſoluti
Nunc tandem vinclis & cœco carcere quo vos
Jam dudum preſſit Vatis prudentia cani.
Vos umbræ tædet, penniſque audacibus alto
Nitentes cœlo, lucem affectatis anheli.
Scilicet ardetis Barbini pumice mundi,
Vulgi oculis, Veri mordacis prodere chartas
Fœcundas ſale; vos ſtimulis temeraria pungit
Ambitio, quamvis extremâ ſorte ſenectæ
Effætæ genitos, vos eheu! fallit inanis
Spes fore ut auſpiciis fratrum felicibus auram
Captantes, Procerum ſuffragia certa feratis
Et populi, demùm ſic ut (ſimul illita noſtri
Nominis illecebrâ obtulerit ſe pagina) cuncti
Plaudere feſtinent certatim, ſalſaque acuto
Muſa joco dederit quæcumque, Paræmia fiant
Ilicet ut lucem ſubeunt. Vos lubricus error

Veſanos agit in præceps, blanduſque venenis
Inficit occultans fraudem. Flos integer ævi
Præteriit, Fatique evanuit aura benignì,
Cum præſtans animis, & dîo robore noſtra
Calliope, Franci fingens Heliconis alumnos,
Dogmata fundebat tot divite ſplendida luxu.
Tunc auſus capitis ratione accerſere rythmum
Judice, legitimâ tum denique percitus irâ,
Planè hominum generi fidens intendere litem,
Ipſe reum & memet cæptis felicibus egi.
Tum nemo ſanè tam obtuſo pectore natus,
Quin vultum indueret ſibi noſtra legendo ſerenum,
Colloquiique vices agitans, inſpergere blando
Sermoni illecebras noſtro de fonte petitus
Tentaret, ſibi viſus acutus acumine noſtro.
Nunc cum ſanguis hebet gelidus tardante ſenectâ,
Quæ prope bis ſenis incumbens improba luſtris,
Deterius canis notat irrumpentibus ævum,
Quamvis flavicomâ ſimulent mihi cincta juventam
Tempora cæſarie. Quæ nos florentibus annis
Gratia tollebat ſublimes, occidit, unâque
Interiit decus & victricis gloria palmæ
Effætæ Vatis torpent ubi frigore venæ,
Et dudum obtuſis ceciderunt viribus artus,
Somnia vos ludunt, velut undique fervidus emptor
Debeat ad forulos & ſcrinia Bibliopolæ
Irrumpens, rythmos nummo præſente parare
Frigidulos? Erit actutum, ut deliria Muſæ

Vana ſeneſcentis plebs certet ſcommate juſto
Carpere, Regnieroque olim præſtantior ipſo
Vulgò habitus, ſe Linieris gemat & Perrinis
Pincheniiſque pari compoſtum lance Bolæus.
Tunc erit, ut vanis rumpentes queſtibus auras,
Clametis miſeri, proh ſors odioſa ſenectæ!
Nunquid adhuc vixit ſolùm ut tam turpe ſubiret
Dedecus? Hæc vobis ſors imminet, hæc manet ipſum
Scriptorem, vos ut certatim mobile vulgus
Opprimat & ſannis & ſævæ verbere linguæ.
Quis furor evertit mentem novus, ut pugil ævo
Obſitus, annoſoque ſitu gravis induat arma
Jam deſueta diu? Proh! quam lutulenta Poeſis,
Elumbiſque ſtylus! maturè ſanus equum jam
Solve ſeneſcentem, ne turpiter ilia anhelus
Fracta trahens, fulvâ moribundum extendat arenâ.
Sic vos arripiet ſævo cenſura tumultu,
Elatoque ſupercilio gravis undique ſcriptor,
Litem agitare ferox, & parcere neſcius, acri
Vel minimos verborum apices indagine fortis
Excutiet, cœſim feriet punctimque, minuta
Quæque operum argutè expediens. Tum maſcula ſi quid
Nobile parturit mihi pagina, carpet acutè
Vociferans, dicetque nothum. Tum fundibus omnis
Rhetorici cultûs flos eviléſcet, eritque
Crimen, hyperbolico ſi quid ſermone diſertus
Protulerim. Plenis dicet convicia buccis

Prado Metonymiæ, Chymicis quam fontibus hauſtam
Autumat; effrontem thalamum qui dixerit, illi
Grande nefas itidem fuerit, culpabitur & ceu
Impurus, qui luxuriam culpando notarit
Ut labem morum. Contra hæc convicia fruſtra
Tendetis fortes ſpecioſo nomine famam
Tutari, tandem poſtpaulò infamia Vatem
Verſiculoſque premet, qualem ſubiere Pradonis
Pyramus exploſus ſcenâ, ſimilique procellâ
Regulus oppreſſus, quos inter inertia juſtus
Scripta relegavit Librarius, apta ſubinde
Uſque illibatâ compingere opuſcula chartâ
Hainovii, & Buzei, ſtudio meditata profundo.
Tum fora per plateaſque, ubi vili ſcruta popello
Vendit anus Baucis, fruſtatim ſparſa, feretis
Omnia quæ tulit infelix opprobria Jonas.
Sed vos nulla movent famæ diſpendia. Cinnæ
Scilicet Andromacheſque pari veſtigia greſſu
Sectari audaces, decus immortale ſuperbis
Quæritis elati fumis per ſera nepotum
Sæcula. Per me fas latebris emergere, cælique
Affectare vias. Sed vos ſuper omnia ſanus
Conſilii moneo; quos fudit Apoline dextro
Muſa mihi primùm, vobis adjungite certo
Fœdere verſiculos, æternùm adhibete ſodales.
His ſine opem nullam veſtro ſperate labori.
Talibus auſpiciis, & fauſto nomine tutos,
Fors erit ut noto vos deinde volumine fuſes

Huc illuc, fratrum commendet gratia, ſicque
Bolæi indulgens agnoſcat Gallia fætum.
Tum ſi quæ vobis accedat gloria noſtri
Nominis illecebrâ, Lectorque benignus amico
Intuitu vobis arrideat, æquus & aurem
Commodet, atrepto tunc tempore grata Parenti
Progenies ô! verſiculi, mihi ſolvite lucis
Acceptæ uſuram cum fœnore, dicite quid ſim.
Prima ſit hæc vobis atros abolere colores
Cura, quibus formam pictores arte nefandâ
Infecere mihi. Specie me reddite verâ.
Ergo tubas inflate graves, unoque tenore
Dicite concordes quod latè Gallicus orbis
Audiat. Ille niger toties mendace tabellâ
Traductus populo vates, tam teter, amaro
Felle tumens totus, candor merus ille, fideſque
Integritaſque. Animi quis pondus amabile amicus
Non ſenſit, rigidoque incoctum pectus honeſto?
Mancipium unius Veri re credite verâ.
Flos niveus morum, & conſtans gravitate ſerenâ
Simplicitas, propriæ dotes; ſine fraude malignus
Jure inimicitias illæſo exercuit, acer
Innocuos agitare ſales, ita vulneris expers,
Semper ut exiret campo adverſarius, inſons
Sic reus eſt Vates, nocet hac innoxius arte.
Impetiit quoties cæco veſana furore
Conjurata virûm legio, quos craſſa Minerva
Erudiit, ſtolidè rythmis tinnere diſertos:

Hos toties ſtricto calami ut mucrone retundens
Arguit, arte ſtylum ſic temperat, ut ſale mores
Ire ſinat nigro intactos, nil putida præter
Scripta notet, vitæ cenſoria virgula parcat;
Libertate dicax, ſed quam ſapientia certâ
Lege regat. Pulchræ cultor virtutis, amicam
Laude vehens, ſed non ita ſanctæ juſſa magiſtræ
Strenuus expediens; haud firmus corporis, ore
Dulciculus; neque procerus, ſed nec tamen ut ſim
Pumilio, ſibi quem ſervum ambitioſa voluptas
Nunquam ſubdiderit. Quæſitor ſi ſuper urgens
Noſce velit genus & ſtirpem, ſortemque Poetæ,
Dicere ne pigeat, Procerum, quos curia jactat
Eximios, conſanguineum; Genitore creatum,
Cauſidicis qui cretus avis illuſtribus, ipſo
Scriba fide canâ inſignis; dein matre puellâ
Orbatum, querulis ubi adhuc vagitibus auras
Implebam cunas inter; quin luſtra miſellum
Poſt tria, completis & bis ſex menſibus eheu!
Funereis facibus lucentibus ordine longo,
Grandævum tumulo me compoſuiſſe Parentem.
Tunc ego nil fato victus, vicibuſque ſiniſtris,
Æthereos hauſtus audax acreſque ſecutus
Ferventis genii ſtimulos, mihi ductor eundi,
Unus iter rumpens, Parnaſſi culmen in altum
Contendi, affectans in ſacro monte propinquam
Regniero ſedem, Perſî ſtudioſus Horatîque
Æmulus. Errantem ripis Permeſſidos undæ,

Fortunæque nihil captantem munera, fati
Sors improviſi regalem accivit in aulam.
Inſuetas tentare vias ubi carminis auſa
Calliope, explicitis non infeliciter alis
Emicuit, cælo cupida innoteſcere aperto.
Uno quin etiam Rex Regibus ille tremendus
Nomine, me voluit Ludovix ſua maxima facta
Scribere, venturiſque ſtylo tranſmittere ſæclis.
Hac aurâ elatus, cœpi Magnatibus eſſe
Inprimis carus; tenero non unus amore
Aulicus amplecti, ſtudioque fovere Bolæum.
Colbertus modò me conſpecto hilareſcere blandus
Fronte exporrectâ totus. Quin nunc quoque ſenſu
Quantumvis gemino prope captus, rureque clauſus
Anguſto lateam, memet ſubducere turbæ
Sollicitus, famæ nihilominus aura fugacem
Proſequitur. Muſæ illecebris atque illice cantu
Ductus non rarò me viſere plurimus heros
Dignatur, mecum felix terere otia, & horas
Exigere arbitrio dulces. Lare villula parvo
Delicias ſic ſæpe vivis Magnatibus affert.

Hæc ſunt quæ pleno deceat vos ore ſonare,
Verſiculi, vos ô! gratos hac arte probate.
Verum mille modis unum hoc præque omnibus unum,
Dicite, quod Genius natalis conſcius aſtri,
Atque incredibilis ratio & vis ardua fati
Affinxêre mihi mirabile, mente repoſtum
Quod penitus teneo, noctéſque dieſque revolvo

Senſibus arcanis; tot ab annis me ſchola quamvis
Senſerit Ignatî certo ſibi fœdere amicum,
Et colere immodicum Scriptores quos parit, ille,
Ille tamen, magnus latè quem perſonat orbis,
Ille ſuo Veri ſic formidatus amore,
Ille ſtylo Ignati dudum inſectatus alumnos
Arnaldus, calami invictus, me maximus, inquam
Arnaldus contra Bavios ulciſcitur omnes.
Deproperate mihi Parium, mea carmina, marmor;
Aut ſi quid gignit precioſius India, primos
Pulcher ubi Auroræ radios naſcentis Hydaſpes
Excipit, hoc demum Vatis tumulo addite carmen:
Hîc ſitus eſt felix Arnaldo ultore Bolæus.
Hoc precor exiguum cinerem decorate ſupremo
Munere, quo livor ſibi perfidus ilia rumpat.
Sed quid verba ferens vos demoror, ite teneri
Indociles, vos impatiens Barbinus acerbè
Increpat, ecce fores pulſat non ſegniter, eia
En vox Barbini ſonat auribus, improbus ille
Vobiſcum inſanit, ſimilique cupidine fervet.
Ite mei Verſus tandem æternumque, valete.

EPISTOLA XI.

FIDE mei cuſtos cultorque haud ſegnis agelli,
Mancipium frugi, qui magno munere Divûm
Nactus herum quo nil melius, nil æquius uſquam
Terra tulit, ſortem quæ te fovet aurea planè
Commendas gratus, dum taxos uſque virentes
Concinnas genii dexter, fruticeſque decorâ
Componis formâ, ſylvæque umbracula fingis
Carpineæ; ſed & arboribus quæ pariete longè
Aprico créſcunt dans normam induſtrius, artem
Quintinii exerces gnavus felixque laborum.
Huc ades, Antoni, proh quanto me coquit æſtu
Cura vorax! Utinam vitiorum evellere fibras
Quæ me cunque premunt, & mentem erroribus ægram
Innumeris, curare mihi ſic fas foret, agrum
Hunc ut mundaſti ſpinis à ſtirpe revulſis.
Verum age dic, dum tu ſic totos irrequietus
Exercens ſoles, durus verſare ligonem,
Arentes glebas urges, vel flumine largo
Irrorans, ſterilem campum male pinguis arenæ
Fæcundare catus, docilem tibi fundirus hortum
Lege domas, cultuque qeas & divite fructu,

Quid tecum verſas animo, cum fronte ſeverâ
Teter herus, nunc arrectat flammantia Olympo
Lumina, nunc affigit humo truculentus, & atrâ
Nube ſupercilium inficiens, & pectore voces
E gravido eructans, ramo frondente volucres
Territat, atque lares aliò ſibi quærere cogit?
Fors hominem (ut minimum) ſtimulis Cacodæmonis actum
Inſanire putas, & ſic gradiendo profundum
Volvere mente aliquod pactum nigrantis Averni,
Et magicas artes agitare, & more furentem
Illius Aimonidum cognati, cujus abundè
Hiſtoriam calles trito tibi codice lectam.

Nil te tale putem, Antoni, ſentire; ſed inter
Affines tibi rurigenas cum didita fama
Jampridem fuerit, Francas & ſparſa per urbes,
Sorte datum Domino, Regis res ſcribere geſtas,
Bellica quem virtus longè & ſapientia Magno
Anteferat Carlo, Parium biſſena ſuperbum
Quantumvis ſtipet legio, bellique domique.
Huic ſtudio addictum, fors (parietis illius umbrâ
Ambulat ut tectus) credis Monteſque Namurcumque
Expugnare modo, & Flandris dare jura ſubactis.
Proh quantùm ſtupeas, ſi quis tibi nuntiet autor
Certus, agi tibi rem videlicet, huncque tumultum
Emotæ mentis, vehemens & pectoris œſtrum,
Unum te ſpectare, nihil contendere demum
Fortis Alexandri ſcriptorem, quàm tibi rythmos
Condere;

Condere, queis animi morbos, triſteſque procellas
Te doceat Vates inſanus; Epiſtola formis
Scilicet, Antoni, tibi texitur excudenda,
Index ſtultitiæ, quam fronte tuebere primâ.
Hîc ſubitò exclames, Doctor ſanè audit ubique
Noſter herus, quin ſæpe viri facundia ſacros
Exſuperat longè Præcones, aureus illi
Sermo fluit. Tamen hîc ſylvæ viridantis in umbrâ
Turbidus incedens, non ſic (ſua ſomnia jactans)
Auras mulcentem turbaret Aëdona, pacemque
Aligeræ excuteret genti deliros & exlex.
Non ita deſiperet, ſi durâ membra palæſtrâ
Uſque terenda viro fuerint, ſi cultor arenæ
Nobiſcum bibulæ, latices infundere, & undis
Immodicam ſedare ſitim deberet agelli
Villicus infelix, ubi cura incumbit arare
Æternum vigil, & raſtro compeſcere germen
Luxurians malè, dein ramos & brachia pravè
Arborei fœtûs porrecta retundere falce,
Et ſpatiis florum areolas diſtinguere certis.
Ergo uter hic noſtrûm, Dominus, Servuſne laboret
Fortius, haud operæ pretium eſt inquirere; ſanè
Judice te, Antoni, laus hæc tibi debita; ſed mox
Exuere hanc mentem ratio te ſana doceret,
Diverſumque loquî, biduùm tantummodò agreſtis
Si curæ vacuus, mutatâ ſorte repente,
Ingenium factus, Pindoque Poëta ſub alto,
Sudares operi incumbens, ubi grande minutis

Nimirum precium foret & nova gloria rebus;
Campus ubi tribulis horrens ſpiniſque, roſetum
Fiat, ubi demùm ſermo vel ruſtica tractans,
Urbano niteat cultu & ſplendore politus,
Quem nec Agueſſæus ſpernat, nec tu, Optime durus
Thermiade, abjicias; qui primùm in luminis auras
Editus, ingeniis ſublimibus Urbs quot & Aula
Parturit, arte ſtatim placeat, venæque beatus.
Hac bidui ærumnâ plane confectus, & horrens
Oſſeus, exſuccis ſpectrum miſerabile nervis,
Lurida cui facies mage ſit quàm ſole peruſtis
Viceno Agricolis, tum raſtrum ſponte reſumens,
Et marram, merito inclamabis, ſanè ego malim
Exercere ſoli jejuni jugera centum,
Quàm ſic ridiculas magnum per inane chimeras
Sectando, incoctam totis haurire medullis
Stultitiam, & ſeſe fugientia verba perenni
Diſſidio vinclis adſtringere contendendo,
Hîc allatratam maxillâ apprehendere Lunam.
  Huc ades ergo animi docilis, quid ſit labor, en te
Nunc ignavus ego certâ ratione docere
Inſtitui. Gens Terrigenûm vitalibus auris
Vix primùm fruitur, facies cum mille laborum
Exurgunt miſeris mortalibus, uſque recurſat
Cura vigil, vel dum componunt membra quieti.
  Nequicquam Aoniis molles in collibus umbras,
Pieridum chorus, & viridi ſub fronde receſſus,
Atque leves blando Zephyri ſub murmure ſomnos

Vatibus oſtentat, fruſtra ocia jactat alumnis,
Et ſerit æterno vernantem palmite ſylvam.
Hîc merus eſt fucus, mera ſunt ludibria : nempe
Continuò irrumpunt juncto ſimul agmine Rythmus
Ille Poëtarum dirus labor, & Cæſura,
Et numeri exactum modulamen, & illecebroſus
Pectinis ille ſonus doctæ facundia linguæ,
Cui comes argutâ ſenſus dulcedine pungit.
Tot ſunt nimirum Sagæ quæ corda venenis
Dulcibus incantant, & fallunt illice fuco
Blande arridentes primùm, mox pectora certa
Urere, & æternis ſenſim conſumere curis.
Sæpe Deas ut ſectatur ſine fine fugâces
Orpheus, pulmonis niſu quaſſatus anheli
Palpitat, & lauros inter gemit anxius ipſas.
Ille tamen labor eſt cordi; fit cura voluptas,
Anxiferæque placet fæcunda induſtria culpæ.
Sed quam ſupplicii Phalaris queat edere formam
Huic ſimilem quâ ſe mortalis conficit inter
Tædia, & angores ſtupidi miſerabilis otî!
Servitii crudele genus, marceſcere lentâ
Segnitie ſic ſponte, putri torpere veterno,
Semper humo affixâ divinæ particulâ auræ!
Vita onus eſt illi, dum languet inertibus horis
Fractus, & utilibus nunquam ſtudet inſervire
Officiis, ſine fruge agitans ſine pignore ſoles.
Nequicquam ſpiſſâ mentem caligine preſſus,
Affectat pacis ſtudia, & ſic vivere vitam

Curarum vacuam ſtrepitu procul, ambit inani
Voto animi, pigrum funeſtus decipit error.
Dum ſic involvit placidum ſocordia demens,
Ecce voluptates, quæ turba nefanda parentem
Deſidiam agnoſcunt, circumſtant undique ſegnem,
Funditus & domitum monſtris immanibus implent.
Jamque ardent ſenſus ſtimulante libidine tetrâ,
Nec deſideriis tandem modus aut pudor ullus.
Fraudibus oppreſſi fit eis inſania ludus.
Tum ſubitò erumpunt maleſani præmia luxûs,
Et mentis laceræ morſus, dein dira podagræ
Articulos rabies contundit, calculus atrox
Inde ſubit, colicæ (miſerabile) viſcera torquet;
Demum Guenaldus, Rainſſantius, & Braïerus
Non minus infeſti coeunt, & Pæonis artem
Urgentes dubiam, miſero nova cudere certi
Supplicia, affixum lecto miſerèque jacentem
Illo non ceſſant duri afflictare theatro.
Et quercus & ſaxa illis autoribus ægro
Scinduntur, ſic immodicè vexatus ut optet
Non ſemel ille tuam ſortem ſtudiumque coloni.
Talibus inſidiis victus fateare neceſſe eſt,
Maſcula paupertas ſtudiis aſſueta ſeveris
Quam præſtet magnis opibus, mage læta paratu
Exili, aſſiduo minus & quaſſata labore,
Quam ſtagnans hæc deliciis luxuque pudendo
Vita, ferax vitiorum & veræ laudis inanis.
His ſuper, Antoni, duo dogmata frugis opimæ

Demonſtranda mihi ſubeunt, hæc ſenſibus imis
Inſere. Rem certam hanc tu primùm mente teneto,
Nil homini mage frugiferum, felicius eſſe
Deinde labore nihil: tum veræ pacis habere
Poſſe nihil cui ſint obnoxia pectora culpæ,
Expediam hæc paucis, Antoni, incumbe docentis
Eloquio. Aſt iſtæc turbant te exordia, vox hæc
Præconis ſomnum parit, en tibi longius ulnâ
Extendi buccam, vaſtoque dehiſcere hiatu,
Et planè clauſis mentum tibi deprimi ocellis
Deprendo. Sermonem herclè hîc abrumpere longè
Profuerit; ſedenim melones flumina poſcunt
Te dudum, & flores unus quos educat imber,
Inter ſe querulo ſcitantur murmure; Sanctus
Ecquis rure novus feſtâ facit otia luce,
Cogit & ardenti flores ſub ſole ſitire?

B O L Æ U S,

R A C I N I O,

DE SUA AMORIS DIVINI VINDICE EPISTOLA.

HODIE mane ſub horam nonam ſalutationis officioſæ cauſâ adivi Venerandum Patrem Franciſcum à Caſâ adjuncto & lateri adhærente Jacobo fratre meo Doctore Sorbonico. Quàm præclarè id nobis ceſſerit te autore ſuſceptum, non abs re fuerit nec tibi injucundum ſi apprimè certior fias. Vix primùm editum eſt Bolæum nomen, cum honorificè nulla mora admiſſi ſumus. Tum ille, quo eſt humanitatis lepore, ſciſcitari peramanter ut valerem, & lætitiam præ ſe ferre quod nihil gravioris incommodi ad priorem habitum acceſſiſſet. Aſſedit mihi quàm proximè ut exaudiretur. Mox rem ipſam invadens, dixit à te ſibi perlectum fuiſſe opus quoddam Bolæi Minervâ conditum, in quo plurima præclarè quidem & luculenter ſcripta notaverit, ſed eo argumenti genere quod & doctrinæ multùm exigat, & per ſe ſingulariter arduum ac nodis ſummè operoſum ſit. Fieri non poſſe quin ipſe qui in docendâ Theologiâ tot annos diligenter poſuerit, ea doctrinæ capita tamquam ungues digitoſ-

que percalleat. Diſcrimen porrò longè maximum ſtatuendum eſſe inter amorem Affectivum & amorem Effectivum. Hunc reverâ in juſtificationis negocio neceſſarium eſſe & ad attritionem pertinere eique illigari, illum vero ut pote qui ex contritione perfectâ oriatur, peccatori per ſe propriâque efficaciâ juſtificationis beneficium tribuere; at vero amorem Effectivum nihil operari niſi cum Sacerdotis abſolutione conjunctum. Sic ille appoſitè nobis & congruenter expedivit quidquid in hoc argumento ſolet ſubtiliter diſputari, à ſpectatiſſimis Theologiæ Scholaſticæ Doctoribus, nec tamen cum eorum non paucis apertè dixit Amorem divinum præcisè ac directè, ita dicam, non eſſe peccatori ad juſtificationem neceſſarium. Frater ad omnia quæ ille ſanè diſertè fundebat plauſu vehementer ſuffragari, mirabundus favere, & quodam quaſi faſcino incantatus, ad viri doctrinam & facundiam extra ſe rapi. Ego interea nihil quam obticere. Ut finem fecit, tum, Reverende Pater, inquio, ſumma me quidem inceſſit admiratio quod apud te delatus ſim, quaſi adverſus Jeſuitas aliquid operis ediderim. Importunum ſanè illud & prorſus inhumanum, homini litem intendere quaſi Jeſuitas ſcripto inſectatus ſit, quod opus eſſe dixerit, & divinâ lege præſcriptum Deum amare. Tum illud ſubjicio, jam nunc Fratrem meum penes ſe habere, qui in medium proferantur, viginti, ut minimum, locos celeberrimorum Jeſuiticæ ſodalitatis Procerum qui etiam certius & prolixius quàm ego in mea Epiſtola, aſſeverent hominem peccatorem non poſſe ullatenus in amiſſæ juſtitiæ jura niſi Deum amando reſtitui. Compertum demum eſſe non tantum non cogitaſſe me Jeſuitas ullo pacto impetere, ut etiam quibus primùm Epiſtolam meam legendam obtulerim ii reverâ fuerint ſex maximi nominis Jeſuitæ, qui uno omnes ore citra dubium affirmaverint non poſſe quemquam hominem Chri-

ſtianum diverſa ſentire ab iis quæ ego in meâ illâ Epiſtolâ tradidiſſem. Dixi inſuper non ita pridem me Reverendiſſimis Antiſtibus Archiepiſcopo Pariſienſi & Epiſcopo Meldenſi opus meum exhibuiſſe & perlegiſſe, quibus viſum eſt (id dicere auſim) ad ſtuporem mirabile. Si quid tamen ipſe nunc culpandum, & quod cuiquam offendiculo eſſe poſſet, deprehenſurus ſit, ideo me illum inviſere, ut errata emendem & diſcam ex ejus præſcripto ſapere. Denique (quod jam antea apud Pariſienſem Archiepiſcopum profeſſus eram) eum me non adire eo conſilio ut laudes vener, ſed ut judicium ſubeam. Obſecrare itaque ut legenti attentum potius quam benignam aurem præbendo, patiatur me quæ legero non pauca pluries iterare ac veluti ſub incudem reducere. Ergo lectioni cœpi incumbere, lentè quidem & quaſi pedetentim, ſed ita tamen ut inter legendum nec gratia, nec animoſa quædam vis & magniloquentia defuerit. Pœne exciderat quod adhuc te monitum velim, me ſingulare aliquid ei & ad ſalivam ſuaviter movendam compoſitum dixiſſe, velle videri me in id ſolummodò toto meo opere nervos & operam intendiſſe, ut oratione numeris vinctâ incluſum pangerem quod modo ex ipſius ore diſſertiſſimis verbis productum exceperamus, quâ & ipſum perſuaſione imbutum eſſe haberem omnino compertum. Sed ad propoſitum, hoc eſt ad ſcripti recitationem redeamus. Mirum profectò rem cecidiſſe ex animi ſententiâ, & planè ut divinaram. Sed enim præter duo neſcio quæ minuta, tibi jam ante objecta, & nobis in præſentiâ repoſita, de meâ ſcilicet tractandâ tantæ & tam arduæ rei audaciâ, nihil quam ad omnia exclamavit, pulchre, bene, recte, verè admodùm, id in confeſſo eſt. O præclare! ô mirabiliter dictum! Operæ prætium erit iſta Regem audire. Ne pigeat, quæſo, id relegere. Nunquid iſtuc eſt quod mihi legit Racinius

In primis

Inprimis blandè perculſus eſt & mirificè delinitus iſtis verſibus quos liturâ induxeras qui tunc à me quantâ potui actionis & vocis efficaciâ recitati ſunt.

Cependant on ne voit que Docteurs même auſteres
Qui les ſemant partout, s'en vont pieuſement
De toute Pieté ſapper le fondement.

Feliciter itidem mihi animo incidit ut revocarem, inque locum reſtituerem octo verſus quos improbaras, Fratre contra ut ſubſiſterent autorem ſe gerente ter juſſit illos referri.

Oüi, dites-vous, allez, vous l'aimez, croiez-moi.
Qui fait exactement ce que la loi commande
A pour moi, dit ce Dieu, l'amour que je demande.
Faites-le donc, & sûr qu'il nous veut ſauver tous,
Ne vous allarmez point pour quelques vains dégoûts
Qu'en ſa ferveur ſouvent la plus ſainte ame éprouve.
Marchez, courez à lui, qui le cherche le trouve;
Et plus de votre cœur il paroît s'écarter,
Plus par vos actions ſongez à l'arrêter.

Verum incredibile dictu quàm ille exultarit, quibus cachinnis exceperit meam illam quæ eſt ſub finem proſopopæiam. Verbo dicam, ita viro genium incendi, ut ſi minus id temporis Frater ejus interveniendo obturbaſſet, nullo modo dimittere nos animum induxiſſet, niſi diligenter evolutis & duabus illis quas recens compoſitas Regi optimo perlegiſti. Sed & viam abeundi non fecit niſi hac lege, fore ut eum ruſticantem quam primùm inviſeremus, idque ſibi ſumpſit ut nos monitos faceret quo potiſſimum tempore ab aliis negociis ita feriaretur ut nobis unis nemine videlicet interturbante vacare poſſet. Viden quam gnavus ſim recitator ſi minus felix ſim carminis conditor.

Ab eo dimiſſis cura fuit illico adire Reverendum Patrem Gaillardum, cui itidem ut optime judicas recitavimus Epiſtolam. Pudore impedior referre quanta laudum, ita dicam, magnificentiâ ab eo excepta ſit, habuit me ut hominem Entheo quodam furore ac numine percitum. Nemo, inquit, niſi qui impius ſit nebulo, huic tuo ſyſtemati refragari uſpiam poteſt. Hîc mihi ſubiit viro refricare memoriam illius Theologaſtri, quî cum lis mihi tam jocoſa ipſo teſte fuit coram illuſtriſſimo Lamonio; dixit illum matæologum eſſe hominem nihili. Societati ſtomachum moviſſe non hanc meam ſcriptionem ſed ineptos male cordatorum hominum ſermones qui in vulgus ſpargerent illud operis fuiſſe contra Jeſuitas ſuſceptum & editum. Hæc raptim ad te jam multâ nocte. Rem gratam mihi feceris ſi tibi curæ fuerit à Domina . . . apographum repetere cujus ei copiam feciſti. Aliud exemplum ei dabitur ad accuratiorem formam emendatè deſcriptum. Te enixè amplector tuus ex animo.

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

AD

CLARISSIMUM D. D. RENAUDOT ABBATEM.

SCILICET hoc veri conſultus & integer urges,
Docte RENAUDOTI, vitiorum emergere cæno
Nemo malus poterit, ſancto niſi pectora toſtus
Igne, pio Patri purum reſponſet amorem.
Non tamen idcirco (parcat tua dira phreneſis,
Fax patriæ, ſævique autor, Luthere, tumultûs)
Nullo erit in precio timor ille ſalutis amicus,
Quo ſceletum pœnas erebique horreſcimus ignes.
Non illum morbus cerebri expugnator, & ater
Uſque vapor creat exundans & frugis inanis
Qui fontem quatiens ſcelera aggeret, & nova triſtis
Semina diſſidii redivivo crimine ſpargat.
Sæpe ſalutiferum tormentum hoc Gratia cordi
Immittit ſenſim irrepens; reſipiſcere ſontes
His cupit ærumnis, hoc illos fulmine terret,
Hoc ſtimulo pungit, tacitæ penetralia mentis

Quò reſerare velint & divino hoſpite læti
Ejiciant imis dominantem ſenſibus hoſtem.
Sic poſtquam inſonuit juſto Charis alma flagello,
Incuſſitque odium ſcelerum, hunc conſcius horror
Si quando exſtimulat trepidos ſubigitque fateri
Flagitia, & vitæ per ſancta piacula ſordes
Eluere innumeras, mox ipſo ex vulnere prodit
Vera ſalus animis, lætumque procella ſerenum
Ipſa parit, Deus: ipſe Deus redit hoſpes amico
Numine, felicique beat præcordia pace
Poſt varios æſtus; ſcuticæ tremefactus habenis
Servus, adhuc Domini qui nil niſi palluit iras,
Induit ille pium ſummi Genitoris amorem
Filius evadens; procul & timor exulat omnis.
His ſuperûm Regis ſapientia ſæpe triumphat
Artibus, & Satanas Satanæ contunditur armis.
Sin autem ſceleri addictus, vitiumque malignè
Defenſari procax quis certet ahenea geſtans
Pectora, cui turpi mens dudum victa timore
Nequicquam ultrices furias tremat, atque tyrannum
Ægra ſibi fingat quem Recti agnoſcere fontem
Authoremque Boni deceat, vitæque parentem.
Ille minis fruſtra domitus cælique fragore,
Quem ſpes illecebræque nihil virtutis ineſcent,
Præmia nil moveant; tacito ſub pectore demens
Quando ait, ô utinam Stellantis regia cœli!
Nullam habeat Nemeſin, fruſtra impius ille tumultu
Concuſſus, fractuſque metu, Myſtæ inficit aurem,

Sentinamque ſuæ memor exonerare cloacæ
Feſtinat, Stygii nihilominus arcta tyranni
Vincula mancipium ſtringunt, timor improbus addit
Criminibus cumulum, dorſo ingens ſarcina creſcit.
At ſincerus amor quo mens reſipiſcere verè
Dicatur, puro radius de fonte neceſſe eſt
Luminis eductus delibatuſque tenebras
Diſcutiat, pectuſque novo molimine fingat.
Hic arguta ſcholæ quicquid deliria contra
Objectent, mihi crede, unus fert præmia victor
Unus amor veniam ſupremo à Rege meretur.
Veſtigare Deum ſtimulus formidinis urget
(Non equidem inficior) juvat & reperire, ſed unus
Hunc amor aſſequitur, fovet, amplexatur amicum.
Hinc vafer impoſtor procul, & cui inſcitia demens
Suggerit hîc tricis vanoque ſophiſmate mentes
Ludere, voſque procul cœci diſcedite Myſtæ,
Quos ratio ſtultis male fœta erroribus, arte
Perdere mortales miſeros docet, ite nefandi
Doctores, qui ceu conceſſa licentia cœlum,
Ut lubet, & veniæ fontes aperire, putatis
Syderibus dignum ſuperæque addicitis aulæ
Mancipium cui cor unâ formidine victum
Spondet iners & amoris inops ſibi numen amicum.
Siccine qui Chriſti ſeſe mentitus alumnum,
Tartareo aſſuevit fidus ſervire tyrannos
(Horreſco referens) technis quas nectit inanes
Calliditas nodoſa ſcholæ, ceu pumice mundus

Veſtrâ ope ſidereo civis tranſcriptus olympo
Regnabit ſuperâ ſuperûm licet hoſtis in aulâ.
Sic agnos inter turpis numerabitur hircus,
Vellere quod per vos toties coopertus ovillo
Admotus ſacris guſtavit myſtica liba,
Attonitoſque novi terrebit imagine monſtri
Cælicolas calcans tibi proximus aurea, Chriſte,
Sydera qui ſanctam calcavit transfuga legem
Non ſemel. Hæc ſapiens nemo ſibi ſomnia fingat.
Heu tamen! Heu nimium multi quos horrida morum
Et ſtudii aſperitas etiam commendat, ubique
(Inſanire piè dum certant) impia ſpargunt
Dogmata, Relligio quibus à radicibus imis
Eruta tota perit. Tamen, illis credite, totam,
Suſtentant humeris, quos ſi ſubducere fortè
Eveniat, moles convellitur ilicet omnis
Et compago perit. Nimirum erroribus etſi
Tam fœdis ſcateant, unis ſapientia ceſſit
In partem tamen & ſinceri gloria cultûs,
Nil alibi ſanum eſt, & qui velit hiſcere contra
Quod ſapiunt, audit totâ à legione repente
Hæreſeos fautor, doctrinæ præco nefandæ
Sic ſcelus eſt præ ſe patronum ferre Tonantis.

Talibus ægra malis planctu ſe tundit inani,
Gens pia Chriſtiadum. Quibus & generoſior ardet
Spiritus, hi mediis fracti in conatibus, ægri
Deficiunt animoque cadunt, vox faucibus hæret,
Emoriturque metu concepta in pectore virtus,

Dum Stygio accreſcunt & opes & gloria Regi.
Siccine nos, aliis dùm virtus fracta labaſcit
Turpiter & clypeum vix dextera tollit inermis,
Siccine nos, inquam, pavidos dare terga, fugamque
Degeneres capere ante tubas? Non talia geſſi
Hactenus. Ergo animis contra ibo, truceſque Gigantas
(Invictas duce te vires expromere certus)
Cominus aggrediar ſtimulis ſicque acribus uram.
Quis furor, ô miſeri! Quæ vos inſania cæcos
Cœcorumque duces vexat fatalis, & urget
Pluſquam Cimmeriâ ſic nocte jacere ſepultos?
Diſcite lethiferam jamnunc perrumpere nubem,
Me duce, nec pigeat meliori mente receptâ,
Diſcutere erroris virus morbumque fateri.
Credite, (id invictâ vobis ratione tuebor)
Credite, vecordes Myſtæ, qui tollit apertâ
Impietate Deum nutu omnipotente regentem
Et maria & terras, cœli flammantis & orbes,
Aſtrorumque vias, levius furere ille videtur,
Quàm qui ſidereâ Regem confeſſus in arce
Jura dare, & latè mundum ditione tenere,
Illi legitimum perſolvere credat honorem
Poſſe, ſacri pectus cui friget amoris inane.
Malim ego diſcipulus jurare in verba Platonum
Quos natura ſequax Veri, ſimplexque regebat
Expertes fuci, quàm ſic ſceleratus alumnum
Fingere me Chriſti, dum fœdas perfidus artes
Affecto quibus hunc tollam penituſque refigam.

Quin, fontem neſcire boni cui ſemper adhæres,
Dignius eſt veniâ, quàm ſi tibi cognitus autor
Hoc vectigali merito fraudetur amoris.

Hîc tamen eſt nodus, quo ſe pacto, explicet, audi.
Ille ſacer ſtimulis formidinis excitus ardor,
Pectora quo debent ſemper ſuccenſa calere,
Non mihi non ille eſt quem mens dulci ebria guſtu
Atque voluptatis pleno torrente beata,
Nec ſeſe capiens ſuperâ inflammatur in aulâ.
Uni cœlicolum merces ea debita genti,
Divini totos ut flumen amoris inundet,
Atque Deo pleni æterno fervore liqueſcant.
Raro ea terrigenis contingunt gaudia, cœli
Nec ſic delicias Charis indulgere frequenter
Dignatur. Sed enim quæ nos hîc urit amoris
Flamma, ferax operum quantumvis illa bonorum
Pullulet æternum, tamen imo pectore ſæpe
Ceu ſilicis venis penitus latet abditus ignis,
Condere ſe gaudet, ſenſus & fallit inanes
Lætitiæ, nullâque animum dulcedine mulcet.
Sæpe tibi pectus credas torpore veterno,
Viſcera cum torrens ſincerus inceſtuat ardor.
Sæpe ratus vivâ tibi corda liqueſcere flammâ,
Hei mihi! lethifero correptus frigore totus
Ecce riges, ſancti Deus horret amoris inanem.
Sic ſcelerum immerſus cœno Fanaticus ille,
Myſtica cui mentem ſceleratam amentia vertit,
Sæpe ſibi plaudit ceu pleno numinis hauſtu

Ebrius arderet, cariqne Parentis in ulnis
Securos ageret ſomnos, cum præda draconi
Tartareo dudum datus, & conſtrictus ahenis
Mille miſer vinclis furiarum vivit alumnus.
Nec percuncteris quibus hoc deprehendere ſignis
Index ipſe tibi poſſis, num pectoris aram
Incendat ſincera fides; ſibi conſcia recti
Id nullo ductore probè ratio expedit una.
Quid tua ſcrutanti tibi mens reſpondeat, audi
Sedulus, erroris diſpendia nulla timebis.
Dic mihi tu, nunquid divini juſta Parentis
Juſſa ſequi velox fratri delicta remittis
Indulgens veniæ? Nunquid complecteris hoſtes,
Et meritis cumulando domas! Num lege ſeverâ
Indociles ſenſus ſubigis, vincliſque coerces
Non facilis vinci illecebris? Num paſcere largus
Mendicum reficis pannoſo in paupere Chriſtum?
Omnia num tandem Chriſti moderaris amuſſi
Officia, & Recto tibi fingis judice vitam
Integer exactor? Nempe hæc mihi forma decoros
Compoſuit ſemper mores (ais) hactenus. Ergo
Vive metûs expers qui nunquam devius erres
Tramite ab hoc Recti, certus tibi corda calere
Illo quem Chriſtus nunquam non exigit igne.
His incumbe vigil ſtudiis, tibi moribus iſtis
Certa ſalus veniet, nullam vult ille perire
Paſtor ovem, facili quæ ſe componere ſuevit
Arbitrio ducis ad nutum, auſcultatque vocanti.

Neu vero neu te deterreat ullus amaror,
Tardave ſegnities operi quæ tædia juſto
Interponere amans cor frigore ſtringit inerti.
Quæ quandoque bonos tentant faſtidia, triſtes
Illudunt oculis larvæ, quas nulla fugare
Ars valeat, tam multæ incumbunt mentibus ægris.
Ergo age carpe viam, mora nulla occurret amanti
Prodigus ille ſui, cor purgatum incolet hoſpes,
Et ſi quando fugam meditabitur, injice vincla,
Illecebras fingens pulchrâ virtute tenaces.
Sed cave tranſverſum ne ludat dogmate falſo
Impietas delira Scholæ; tu mente teneto
Uſque memor, non thus, non ulla piacula, ſanctas
Non myſtarum artes, non ipſum poſſe Tonantem
Impoſito ſemel hoc nos exonerare tributo,
Atque ſacri legem quam fixit vertere amoris.
Quidquid in adverſum tendat Schola, ſomnia crede.
Ergo, inſtant fortes, ſacrorum nulla poteſtas,
Nulla Sacerdotum, nihil & jam proderit atis
Affuſos fontes ſcelerum evomuiſſe venena.
Unius ſedenim cum Gratia munere amoris
Advolet, & magnâ reddat virtute ſalutem
Amiſſam, quid opus myſtas, quid adire tribunal
Orantes veniam & pacem clamore petentes?
Dic age, quas labes purgatrix dextra Miniſtri
Abluat, unus amor quando omnia crimina dudum
Delevit victor? Sic ſancta piacula triſti
Dogmate convellis, ſic & Chriſtum impiè, tollis.

Argutæ, ô ſuperi! miranda ſophiſmata Gentis.
Dicite, veſani, nunc dicite, ſancta medullas
Cum ſcintilla coquit, nunquid non ilicet ille
Juſtitiæ fontes venis ſitit omnibus ardor,
Purgarique ſacris & durâ compede ſolvi
Urget anhelantes? Quid? Numina vana peroſus
Ethnicus ille, fides cui mentem luce ſerenâ
Illuſtrat, nunquid reverâ addicere ſanctæ
Militiæ nomen, nunquid Chriſtum ore ſonare
Intrepidus poterit, niſi ſacro fonte renaſci
Percupiat, purâ & ſordes deponere lymphâ?
Nec quis Chriſtiadum lachrymis molleſcere pectus
Atque ſalutari ſtimulo ſibi ſperet inuri,
Ni coram mores velit ejurare profanos.
Nempe Sacramenti virtus nos vindicat una,
Aſſerit una Deo, ſtygio eripit una draconi.
Contendit rapidis ergo huc amor igneus alis
Exſuperat que moras omnes. Tamen ipſe litanti
Ni mentem pectuſque regat, ſpes nulla ſalutis
Ille ſacris unus virtutem fontibus addit.
Si quem forte pio perculſum corda tumultu
Sollicitet metanæa ſcelus deponere, coramque
Abluere, & varias ſancti medicaminis artes
Luſtrandique adhibere modos quos durus obire
Forte neget (quem nemo queat pervincere) vitæ
Arbiter, aut alius crudeli lege Tyrannus;
Tunc ſe ſponte Deus victuſque volenſque remittit,
Quodque inimica tibi ſors invidet, illud amanti

Protinus indulget. Numeros unius amoris
Nil implere poteſt ſi pectus deſerit ægrum.
Unus amor, vitæ extinctum renovare vigorem,
Unus amor, nervos valet & vim reddere menti,
Unus amor, ſuperum nos arcto fœdere Regi
Conciliat, pacemque æterno pignore firmat.
Hoc ſine nec læto turgeſcere gratia fructu,
Sacra nec ulla ſuum poſſunt expromere robur,
Ipſa fides torpet, virtutum ſemina nullo
Germine ſe tollunt, ſunt frugis inania cuncta.

Ecquis victori demens obſiſtere vero
Audeat hîc. Sed ego invicto vos frangere marte
Conſtitui, & fumos vani compeſcere faſtûs.
Dicite vaniloqui Doctores, ſicubi ſolvit
Compede nos ſtygiâ verbi virtute Sacerdos,
Num ſacer incedit tum nobis ſpiritus, an non?
Si Deus hoſpes adeſt, cum fons ſit amoris, amorque
Supremus, nunquid vivacem accendere flammam
Non properat? Contra, ſi deſit amabile pignus,
Nunquid adhuc ſtygii non regnant corde dracones,
Et domitos ſubigunt. Ergo niſi flamine puro
Ferveſcat redivivus amor, nec templa, nec aræ
Nec luſtrale ſacrum dubiam firmare ſalutem
Arte queant ullâ. Nec fas evadere. Victor
Vos ratio ſtringit. Quid enim ſibi fingere prodeſt
Neſcio quem cœcum fontis ſub corde tumultum,
Quem formido parit Dominum ſerviliter horrens.
Scilicet ille metu genitus patre triſtis amaror,

Divini à nobis feret & vim & nomen amoris?
Diſcite quid ſit amor, quam puro ſemine cretus.
Ille ferax veniæ quem cœlo mittit ab alto
Munificus Pater, ille, inquam, delapſus ab aſtris
Igne micans puro menteſque ſalubriter urens
Nobilibus ſtimulis ardor, licet anxius ægerque,
Acribus hîc ſæpe exagitet præcordia curis,
Eſt tamen ille idem ſuperûm quo pectora flagrant
Ardor inexhauſto de fomite natus amoris.
Quin, ubi ſe vinctis perfecto tempore vitæ
Corporeis anima exſolvet, niſi ferveat hujus
Igne rogi, fruſtra æthereum, mihi crede, Parentem
Urgebis ſacrum venis ut ſuſcitet ignem;
Parcere durus erit, jactabis & irrita vota,
Quâque ſemel flammâ careas hac uſque carebis.
Quid muſſatis adhuc Vero victore ſubacti?
Quid juvat ambiguos ſinuosâ mente ſophiſtas,
Texere adhuc fraudes laqueoſque inectere verbis
Spes ubi nulla fugæ? Nec enim ſordeſcere turpi
Pulvere vobiſcum jam plebs lyncæa laborat
Amplius, exertat ſe paſſim & ubique triumphat
Verus amor per vos tot fœdè extorris ab annis.
Vos jubet errores ſapiens dediſcere vulgus.
Jam ſapite inſani, memorique hæc mente tenete
Gloria ſydereâ quâ perfunduntur in aulâ
Cœlicolæ noſtro merces ſperata labori,
Non ex ſervili obſequio cultuque paratur.
Hinc procul ignavi ſtimulis vexata timoris

Anxietas, gelidâ quam conſcius extudit horror
Relligione tremens, per te via nulla ſalutis
Pandetur quamvis tibi frigida ſegnis Abeli
Secta negativi ſcintillam addicat amoris.
Hæc ego dum ſanus moneo circumſtrepit ingens
Clamoſæ ſophiæ populus, mentemque ſuperbis
Elatus fumis interpellare malignè
Audet & accumulans convicia mille modeſtam
Calliopen onerat. Quæ vati audacia, dextrâ
Sic tractare palam Myſteria ſacra profana?
Quæ Schola purpureâ pugilem præcinxit ab ollâ
Tentatum vario certamine? Num tibi pennâ
Exſcripti & penitus defixi mente ducenti
Scriptores quorum ſe fingit lege Lycæum?
Mene infrugiferum ſic deſudaſſe laborem
Creditis inſani? Quid opus verſare diurnâ
Nocturnâque manu tot barbara ſcripta, Scholarum
Pulpita quæ clamoſa ſonant? Quid tu mihi Valli?
Quid tu Gamachide? Quid tu Iſamberte? Quid omnis
Turba ſopniſtarum? Quid ſpinis hirta juventus?
Nunquid opus niveo præcingi vellere? Nunquid
Lauro inſigniri, quò Chriſti diſcat alumnus,
Unum juſtitiæ fontem rectique bonique,
Cujus perpetuo ſuſtentat munere vitam?
Cujus & effuſo reparatur ſanguine mundus
Diligere enixo cordis flagrantis amore?
Quid vigili curâ tot lecta volumina proſunt?
Nempe ſatis volviſſe unum. Se paſcere ſancto

Codice mens diſcat. Puro turgeſcit amore
Paſſim opus, æthereos ibi pagina quæque furores
Fomite perpetuo ſpirat, paſſim æſtuat ignis.
Nunc tamen (ô nullis abolenda infamia ſeclis?)
En dubio nobis hoc dogma problemate paſſim
Non unus Doctor cæcis ambagibus affert
Implexum, ſpuriumque vocat, proh dedecus! ipſo
Scriptum authore Deo. Nec deſunt fulmine dignam
Qui vocitent legem hanc quæ nobis numen amare
Præcipit ut fons juſtitiæ eſt vitæque repertor,
Et pœnè impietas fuerit pietate ſupremum
Complecti Genitorem. Eheu! miſeranda Scholarum
Barbaries quæ monſtra paris! Tu dogmate nuper
Excuſo exultans male ſana, refigere legem
Congenitam nobis atque intra viſcera ſculptam
Auſa, tibi plaudis, per te & ſic fomes amoris
Extinctus, ſine luce animam ſine robore prodit
Dæmonis inſidiis & cæcam merſat Averno.
Sanè ſi quem unum gregis illius auſus adire
Cominus appellem, mihi jam dic, optime, ſodes,
Num Patrem enixo complecti debet amore
Filius? Hîc mora nulla (licet doctrina ſolutum
Arguat) erumpet juſto clamore, quid urges
Sic percontator vanus? Quis talia cæcus
Impietate neget? Sed ſi ſuper addere certem,
Ergo Patrem nobis qui contigit unus amandus,
Qui nos largus opum nutritque fovetque benignus
Vel ſontes ſtudio incenſo redamare tenemur.

Tum grege de tanto vel qui reſtrictior audit,
Hæſitat ancipiti pendens ratione, timetque
Dogmatis aſſertor ſibi quid conflare pericli.
  Nunc animus geſtit musâ id ſtimulante jocosâ,
Scribere quo nuper feſtivus ſchemate, ludo
Cenſuram exercere catus, ſalsèque dicaci
Argutus Vero, blaterones frangere adorſus,
Audaces ipſum contra pugnare Tonantem,
Contuderim procerum in cœtu. Cum nempe volumen
Excuſum ſuper his prælo ſudante fuiſſet
Excuſſumque uni noſtrum, tunc optima ſuaſit
Continuo mihi mens hoc ſubdere; ſcilicet errat
Proximus exitio qui myſtæ tutus in aure
Poſtquam depoſuit ſcelerum longo ordine triſtem
Hiſtoriam, veniam extemplo ſibi credit ab aſtris
Imperio unius verbi quod ritè Sacerdos
Protulit, acciri, niſi victor pectore flagrans
Sanctus amor mutare animum molimine dextro
Incipiat. Proh! quanta mihi conflata repente,
Tempeſtas verbo quod vis Veri extudit uno,
Ante alios, quidam furiis immanibus actus,
Heus tu, inquit, merus es Calvini aſſecla, nefandum
Dogma ſapit purum ſectæ infelicis alumnum.
Me miſerum, exclamo, cui mens malefæta veneno
Calvini tumet, heu perii! jam debeor orco
Victima, Schiſmaticus, reprobæ pars magna catervæ!
Verùm age dic, inquam, tunc cum Rex altus olympi
Terrificam exertans denſa inter nubila dextram,

Attonitis ſanctâ ſe Majeſtate verendum
Oſtendet populis, dicturus & ultima fata,
Infames hædos niveis ſecernet ab agnis,
Hos blandè appellans, illos truculentior arcens.
Tunc, inquam, hinc heu! cum præmia cuique pareſque
Indicet ſceleri pœnas, mihi durus & aſper,
(Quando gregi hircorum meus exitiabilis eheu!
Judicio veſtro meritum me addixerit error)
Magnâ voce tonans ſedem aſſignabit Avernum.
Hinc procul infelix nigræ ſtygis incola migra,
Dogmatis aſſertor pravi, qui toſtus amore
Corda ſacro, paribus cunctos incendere flammis
Tentaſti, ſolitus ſemper jactare, benignum
Me veniæ nunquam peccantibus eſſe futurum,
Ni ſcelus admiſſum mens deteſtata, dolore
Uſta gravi incipat purâ fervere medullas
Scintilla, & primo legis parere laboret
Præcepto, pulchræ virtutis imagine capta:
His me nimirum probris onerabit acerbus.
Exploſi ſed tu pie dudum ô! dogmatis oſor,
Flos gregis, eximio quem Chriſtus amore tenellum
Enixè fovet, atque arctè complectitur ulnis,
Dulcis amice, veni (tibi protinus ingeret, ore
Gaudia blanda ferens) qui Patrum evertere ſenſa
Callidus, atque Scholæ tricis ſubtilibus hirtus,
Conclii cœcâ involvis caligine mentem
Haud ulli obſcuram, intexens enigmata verbis,
Huc ades ante alios mihi præco ſalutifer omnes.

A a

Gens humana tibi quas non perſolvere grates
Debet, onus per quem divini excuſſit amoris,
Jamque ſoluta jugo exultat; datur aſtra ſubire,
Ingredere, & ſanctis ſuccede penatibus hoſpes.
Excipit en feſto te cœli curia plauſu,
Et ſibi præclarum gratatur nacta magiſtrum
Quo tandem æthereum deſueſcat amare Parentem.
Sanè ego ſi Chriſti tot monſtra loquentis ab ore
Exciperem, aggrederer ſic compellare viciſſim
(Hoc ipſum mihi confidens impune futurum)
Hei mihi! ſumme parens quia nam non conſona verbis
Vita fuit? Duris proh! nunc dolor oſſibus ardet,
Integra quod mores mihi corrupere profani
Dogmata flammatoque piger reſponderit ori
Spiritus. His nempe iratum placare tonantem
Tentarem dictis, & delinire gemendo.
At tu Regis amor, ſancti licet hoſtis amoris,
Quî conſtare tibi? quo robòre frontis ahenæ
Divini poteris dicteria ferre cachinni
Sic ſale mordaci ſævoque madentia felle.
Scommate fulmineo tumidum feliciter hoſtem
Compreſſi; campo, mora nulla, exceſſit amaro
Neſcio quid muſſans quod in auras ceſſit inanes.
Rinsfeldi ſed enim Poncîque in caſtra cucurrit
Certa paraturus queis me mox obruat arma.

DE ARTE
POETICA.

Digitized by Google

DE
ARTE POETICA.

CANTUS PRIMUS.

NIMIRUM vano ſudat temerarius æſtu,
Qui docto Pindi ſub vertice, carminis artem
Affectat pulchrâ cum laude capeſſere, mentis
Æthereæ niſi naſcendo conceperit hauſtus
Divinos, factus Genio inſtinctore Poeta,
Nil potis eſt ſapere egregium, arctâ compede vinctus,
Nec præſto eſt Phœbus, nec ei fit Pegaſus ales.
  Vos ergo, vos ô ! tentare pericula fortes,
Gloria quos, decus & palmæ quæ prima paratur
Ingenio ; exſtimulat campo decernere aperto,
Parcite vos Muſæ ſtudio conſumere inani,
Ingeniique loco rhythmi hanc cenſere doloſi
Illecebram quæ vos blandè ſic fallit ineſcans.
Quid valeant nervi, quantum contendere poſſit
Spiritus, haud pigeat longâ perpendere curâ.

Ingenia ut natura ferax præſtantia gignit,
Dividit autores inter ſic dædala dotes.
Hic verſu teneros cantare peritus amores.
Ille habilis dicto condire Epigramma faceto.
Heroûm laudes & fortia facta Malherbus
Dicere par. Saltus umbroſos, Phyllida, lites
Paſtorum, gracili cantare Racanus avenâ.
At ſcriptor ſic ſæpe ſui reſtagnat amore,
Ut cæco nunquam Genii ſit cognita egeſtas.
Sic calices ſiccans, qui viſus ſæpe Fareto
Compotore, ſuos Bacchi inter gaudia verſus
Parietibus gurguſtioli carbone notare,
Impuro aggreditur temerarius ore Poeta,
Iſacidum canere extincto Pharaone triumphum;
Victricemque fugam, & Moſen per luſtra ſecutus
Devia, ſe curſu tandem feſtinat anhelo
In fluctus dare, cum Pharioque perire tyranno.

Ludicra vel grandis ſi quid ſibi Muſa canendum
Sumpſerit, incæptum ratio rhythmuſque perenni
Fœdere concordes foveant, tueantur, & uſque
Suſtentent. Ambo æternùm ſibi nempe videntur
Fruſtra adverſari. Rhythmus famuletur oportet,
Servam & præſtet opem. Si veſtigare labore
Aſſueſcas dexter, facili ſe ſponte ſequacem
Obſequio dabit, atque jugum rationis amicæ
Induet auſcultans *Vero*, nervoſque nitoremque
Adjiciet: quem ſi neglexeris, aufugit & te
Deſtituit. Sed nec promptum eſt revocare fugacem.

Sæpe rebellantem incaſſum ſententia anhelans
Perſequitur, nodo tendens arctare tenaci.
Hoc rationis opus, ſcriptores, unius eſſe
Credite. Sit vobis ergo ſectarier illam
Cura vigil primuſque labor. Nec gratia ſcriptis
Nec pretium, nec honos uſquam conſtabit, amuſſis
Ni regat illa ſtylum, lex uſque & norma canendi.
At pleroſque agitans cæcæ veſania mentis
A recto longè rationis tramite cogit
Quærere ſenſa animi; turpis nota ceu foret illis
Opprobrii, ſi quid monſtroſa Poeſis haberet
Quod venæ alterius ſaperet tantiſper opellam.
Hæc fugite ô vano ludibria ſplendida luxu:
Conveniunt propria hæc Italæ deliria Genti.
Sit ratio ſcopus una viri quo tendere certent
Continuo niſu. Salebris ſed & aſpera ducit
Huc via, difficiliſque teneri. Si quid aberres
Diverſus gradiens, certa eſt tibi gurgite in alto
Pernicies. Nempe eſt rationi ſemita ſæpe
Unica, quâ tutâ figat veſtigia plantâ.
Sæpe ſuo ſcriptor male turgidus argumento,
Hoc urgere ſtylo non ceſſat, ni penitus re
Exhauſtâ. Occurrit ſcribendi Regia, frontem
Impiger ecce domûs properat mihi pingere totam.
Hoc ductore vagus circum curſare, lareſque
Excutere. Hîc ſurgit circumducto aggere moles
Celſa decus tecto; ſe pergula porrigit inde
Porticus interior circumvaga, pervia opertâ

Tecta viâ faciens ſeſe offert. Ecce ſuperbum
Et Podium occurrens columellis emicat aureis,
Et late vibrat radios laquearibus altis.
Quin ſuus eſt adhibendus honos, numeranda minuti,
Vel circi facies, & circùm amplexa columnas
Faſcia quam fingit globulorum pendulus ordo,
Aſtragalus paſſim, paſſim ſculpta arte corolla.
Hîc folia exſupero ſaltu bis dena, ſed eheu!
Affectans finem, vix me poſtica per horti
Septa fuga eripio. Sterilis ſic copia damno eſt.
Hanc fugite efflictim, penitus reſcendite vanam
Luxuriem, ſani ſcriptores, tædia gignunt
Indomita ubertas hæc & fæcundia ſuadæ
Jejuna immodicæ. Si quid nimis, ilicet odit
Faſtiditque animus. Scriptor, mihi credite, nemo
Gratus erit, felixque operæ qui judice Recto
Neſciat ingenium certâ conſtringere lege.
Sæpe trahit culpam culpæ fuga deteriorem.
Qui caruit nervis verſus fit durus & aſper,
Ut limam pravè induxti; brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio. Muſa huic eſt neſcia fuci,
Sed cultûs caret illecebris; & dum ille veretur
Serpere humi, nubes turgens ventoſque laceſſit,
Vin'te perpetuò florentem gratia vulgi
Commendet? variare ſtude tua ſcripta ſubinde
Hac plebis ſtudia æternùm novitate tenebis.
Nequicquam culti nos ſuada tenore moratur
Eloquii; fruſtra hæc ſpecies blanditur inerti
Aucupio:

Aucupio: ſommum hæc gravitas inducit ocellis
Incumbens; nec enim autores properatur ad illos,
Queis moduli ſonus unius, queis ſpiritus idem
Continuat vel mellito de gutture cantus.
Felix qui vocis levitate induſtrius, omnes
Percurrit numeros, grave dulci, molle ſevero
Flexiloquus ſocians; Cœli fovet hora benigni,
Et fortunat opus cudit quodcunque, nec illud
Æquè Barbino proſtans meret æra volumen.
Emptorum bullat numero ſine fine taberna.

Quidquid componas, humilem uſurpare popelli
Sermonem moremque cave. Stylus & ſua ſimplex
Floris habet decora, & pulchri ornamenta nitoris.
Oppreſſâ ratione, procax ubi ſe extulit error,
Scurriliſque ſtyli laſcivia; fronte placere
Cœperunt primâ petulantis ludicra Muſæ.
Una micat ſcriptis putris hæc argutia rhythmi,
Et triviis quæſitus honos, migravit & ipſe
Pindus in obſcuras humili ſermone tabernas.
Bacchari effrænis paſſim illa licentia nullo
More furens, cultu hoc indutus Apollo,
Pluſquam ſcurra vagus, ludibria, proh pudor! iſtæc
Uſurpare. Urbs latè hæc contagia magnas
Infecere lue indomitâ, plebemque, Patreſquo
Purpureos etiam Proceres, & honoribus Aulæ
Inſignes. Blandè Balathronem circulus omnis
Excipit. Impuri ſed nec Lectore Poeſis
Affucii ipſa caret. Sed cùm Magnatibus error

Deprenſus, vanique procax veſania ludi
Cognita, tunc prompta hæc cœpit ſordeſcere verſus
Copia fundendi; curvo diſcernere rectum
Aulicus, & quanto diſtet diſcrimine ſcurra
Simplicis à Veri formâ, dignoſcere nube
Abſterſâ. Poſtquam lux reddita mentibus, uni
Ruricolæ ſibi delicias fecêre Typhæum.
Scripta lues iſtæc maculet ne veſtra cavete,
Autores, ſtudio ſit cura referre perenni
Maroti ludum jocularirer excellentem;
Pons novus & ſua ſit balathronibus uſque palæſtra.
Neu tamen immani (vel ſis Pharſalidos author)
Brebovium reddens, veſanus carmine centum
Accumules montes gemebundos luce carentum,
Aut exhalantum extremo luctamine vitam.
Mitius ore ſona, niteat tibi candida & artis
Exſors ſimplicitas; ſublimem tegere faſtus
Immunis, lætos fuci expers indue vultus.

Tu nihil in medium certò niſi quod juvet affer:
Auriculâ numerum fidus perpende ſeverâ.
Verba ſecans medio conſtet ſententia verſu,
Et notet exactò juſtam ſemiſſe quietem.
Vocalis cave ne curſu importuna citato
Vocalem impingens duro aures lædat hiatu.
Harmonico ſunt quæ quadrent felicia nexu
Verba, charis quæ blanda parit; fuge quod ſonat acri
Concurſu illidens diſcors & hiulca Poeſis.
Quâmlibet eximio niteat ſententia cultu,

Nullâ mulcebit captos dulcedine ſenſus,
Aſperitate ſonus durâ ſi verberet aurem.
Noſter ubi primùm cœpit ſe extollere Pindus,
Quiſque ſibi arbitrio fingebat carminis artem;
Aſſutus nullo conſtantibus ordine verbis
Unus erat numerus, cæſuraque formaque Rhythmus.
His rudibus Parnaſſi annis quamvis rudis ipſe
Villo, tamen cœpit tenebroſis addere lucem
Mythologis; mox ingenio Marotus & arte
Succeſſit melior, Rhythmo Bacchi orgia luſit
Inventi felix, ſimul edidit apta choræis
Cantica, multiplici media inter Dramata formâ
Quæ perſonatus ſaltando pſalleret actor,
Aut ſaliente Choro tandem lyra luderet una.
Tum Rhythmis Terno accentu redeuntibus Odas,
Deinde ſoni vicibus certis adſtrinxit, & arctâ
Lege Poemation quod in arctum cogitur orbem
In ſeſe rediens ori aptum rite rotundo.
Cudendæ arte novâ fuit ille Poeſëos Autor.
Proximus huic, temerè diverſum inducere morem
Progreſſus vano confidentiſſimus auſu
Ronſardus Rhythmi formam, corrupit & artem
Legitimam, imperitans verſo malus ordine Cenſor.
Fata diu tamen hunc, majorum & putidus error,
Uno florentem ſuſtentavere tenore.
Plurima ſed faſtu quæ vir tumefactus inani
Fuderat, illa ſequens ætas viléſcere vidit.
Sic variat fortuna vices alterna ſtupendas.

Nempe crepans Græcum ſine more Didaſcalus audax
Auſoniamque phraſim, nos denique ludere felix,
Ingenuam Franci formam mutaverat oris.
Hoc vatis ſummo excuſſi de vertice Pindi
Cautior evaſit caſu Portæus; & ipſe
Incubuit limæ Bertaldus deinde ſeveræ
Acrior. Hos fato demum meliore Malherbus
Excepit. Primus numerumque modumque notare
Verſibus ille catus: certo diſcrimine Muſis
Officii leges fixit, docuitque Magiſter
Eximius quem quæque locum vox apta tenere
Conveniat, quadretque operi. Quin lingua labore
Emendata viri jam Gallica nil ſonat aures
Quod laceret verbi durâ aſperitate tenellas.
Tunc carmen recto, ſtata per divortia, caſu,
Legitimo cecidit complexum fine decenter,
Nec verſus verſum uſurpans pede preſſit iniquo.
Subdidit illius placitis ſe ſponte Lycæum.
Certus adhuc Dux Aoniæ præſeſque catervæ
Scriptores regit & Pindo ſtat regula Veri.
Cirrhæi laticis qui puro huic manat ab alveo,
Æterno gnavi ſtudio affectate nitorem.
Si paulum ambiguo molimine Muſa laborans
Hæreat ingenuâ mihi quod parit edere formâ,
Ilicet ancipiti mihi mens ſtupet anxia curâ,
Nec ſtudet arrecto ſcriptorem apprehendere niſu,
Quem labor aſſiduus ſit veſtigare latentem
Scilicet ingenia occurrunt denſâ obſita nube

Plurima, quæ ratio nequeat pervadere quamvis
Luce micans purâ, & radiis illuſtribus almum
Vel ſolem vincat. Vos ergo incumbite ſortes,
Ut ſit ſculpta animo res & concepta potenter,
Calliope facili quam nititur edere partu,
Se formæ ſimilem ſemper gerit argumenti
Dictio; nempe refert obſcuram obſcura, viciſſim
Puram pura. Tibi ſimul ut rem lucidus ordo
Compoſuit menti impreſſam, mora nulla decoro
Concentu videas certatim accurrere verba.
Sed quidquid Muſæ ſibi vana licentia ſumat,
Injiciat frenos ſacræ reverentia linguæ
Imprimis; nec enim cordi eſt quod mulceat aurem
Blandula Calliope, male propria dictio ſi me
Offendat, vel lædat inæpta aut barbara, grandive
Immanis fœdè prolatus ab ore ſolœcus.
Immane, emiſſum dicentis ab ore, ſolœcum
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, inter
Ille malos meritò eſt cenſendus lege Poëtas,
Rite emendatæ careat ſi munere linguæ.

Quamlibet increpitent vel heri mandata potentis,
Vos penes arbitrium ſit temporis atque laboris.
Nam feſtinando laus non niſi vana paratur.
Ille ſtyli rapido properantis flumine curſim
Impetus exſuperans, Muſæ deſignat egentis
Judicio vitium mage quàm notat ingenii vim.
Gratior ille levi per florea rura ſuſurro
Qui ſtrepit, & mollem lentus fœcundat arenam

Rivulus, immani quàm qui rotat impete lympham
Præcipitem torrens lutulento turbidus æſtu.
Feſtinate, Viri, ſed lentè. Multa litura,
Multa dies, vigili ſudans conſtantia curâ
Emendet verſus, iterumque iterumque refingat,
Improbus & limam tractet labor. Addite rarò
Quidquam operi, at calamo quam plurima ſæpè cruento
Figite quæ chartis incautè incuria fudit.
Nempe parum eſt quod ſcintillis illuſtribus acris
Et gnavi ingenii videas alicunde nitere
Carmina, ſi mendis ſcateant interlita crebris.
Res ibi quæque locum ſervet ſortita decenter.
Primo ne Medium, Medio ne diſcrepet imum.
Aptè compoſitis ex partibus undique conſtans
Extet opus quod vis, ſimplex duntaxat, & unum.
Nuſquam exemplaris formam diverſus aberrans
Deſerat externâ deceptus imagine ſermo,
Affectans ſpecioſa operi intertexere verba.
Vin' ſcriptis parcat vulgi cenſura maligni?
Te gere cenſorem imprimis, nec tu tibi parce.
Promptum ſemper habet mirari inſcitia quidquid
Parturit. Hanc peſtem fuge ſedulus, & tibi fidos,
Si ſapere advertis, ſincero fœdere amicos
Concilia, Vero tua prælucente, ſeveri
Qui ſcripta excutiant, & juſto pondere pendant
Lance nihil dubiâ. Cenſores omnia lyncei
Rimentur vitia, & duro ſapienter acerbi
Vulnere reſcindant. Autoris grande ſuperbi

Pone ſupercilium. Sta denique legibus arctis
Judicii ; apprimè ſed ſcito (nil moror) inter
Noſcere mendacem fictumque beatus amicum.
Te plerumque facit ludos qui voceque , geſtuque
Applaudit. Vafer illuſor procul abſit , at autor
Conſilii probus & prudens tibi cominus adſtet.
Pravus adulator , fucatus , callidus ore
Ementito , habilis mirantis ſumere vultum ,
Fraude potens ſubitò exclamat , pulchrè , benè , rectè.
Hunc adeo cujuſque beat facundia verſûs ,
Eſſe ſui compos ut neſciat, omnia nectar
Sunt illi , & penitus divino è fonte petita.
Lætitiâ exultat , lachrimis rigat ora decoris ,
Quas amor expreſſit merus hærens ſenſibus imis.
Turgentem faſtu me fert veſanus ad aſtra.
Ille habitus Vero non eſt cognatus & Æquo.
Nil falli facilis , nil connivere paratus ,
Aſper & indocilis flecti te ſemper amicus
Exſtimulans pungit , tua quò mendoſa retractes.
Fit tibi Ariſtarchus , verſus reprehendit inertes
Aut incompoſitos normæ catus applicat aptè
Reſtituens , propriâque docet ſtatione nitere,
Et mucrone domat ſi quid tumidum emphaſis offert.
Hìc ſenſum notat ambiguum ; phraſis officit illic ;
Ecce ubi ſtructura occœpit tenebreſcere luſca.
Ancipiti vox en regnat male prædita ſenſu ,
Extrica dubiam , atque jube ſplendeſcere cultu
Qui deceat. Prudens his implet amicus amicum

Conſiliis. Sed ſæpè tenax ſua ſcripta tueri
Magnum dedecoris temerè intractabilis Autor
Inſtar habet ; quidquam uſurpes ſi carpere cenſor
Vel veniæ indulgens, vel ſervantiſſimus Æqui.
Nil dubitat jus offenſi ſibi ſumere. Verſûs
Iſta videtur, ais, mihi cultu forma carere.
Hoc, here, condona, mendum eſt leve, fervidus inſtat
Continuò. Vox hæc mihi frigida nil ſapit, ohe
Confeſtim dele. Nil pagina cultius illa
Offert Lectori. Concinnus & ille videtur
Eſſe parum locus. Ah ! Probat illum calculus omnis !
Sic mutare nihil docilis temerarius error,
Hæret propoſito abnormis ; ſimul aſpera lædit
Vocula cenſorem, ſibi protinus arrogat illam
Defenſare, ſui ſibi plaudit cæcus amore.
Nemo tamen critices colit illo impenſius artem.
Si qua fides verbis, ſummum jus te penes inter
Cultores Pindi errantem emendare Camœnam.
His tibi blanditiis fraudem facit improbus aſtu
Irrepens palpo, verſus audire legentem
Ut ne detrectes. Hac Muſæ ſorte beatus,
Vertit confeſtim veſtigia, teque relicto
Seſe proripiens, aliò divertere famæ
Captator nihil addubitat, fatuumque prehenſat
Ridiculâ addictum ſibi credulitate ſodalem.

Iſtius ingenii non deſunt. Noſtra laborat
Hoc ætas vitio. Inſulſis autoribus ut ſe
Fert fœtam, ſic qui ſtultè mirentur hiantes

Copia magna virûm ; innumeros Provincia mittit,
Urbs & habet. Verùm & genus illud dux fovet, ipſe
Educat & Princeps ; nec enim ullo tempore, (certum
Credite) non habuit Magnates Principis aula
Judicii exſortes qui cæci errore pudendo
Tutarentur opus ; ſtudioque calente foverent
Enatum autoris, vel putidiore cerebro.
Scommate rem ſatira abſolvet. Qui deſipit, ille
Deterius ſe ipſo ſapientem ſemper habebit,
Qui mirabundus faveat cultuque ſequatur.

CANTUS II.

QUALE placet Phyllis ſertis & honore corollæ
Picta caput niveoſque ſinus, ſibi fingere formam
Vicini modò divitiis & munere ruris
Affectans, auro nihil & Gangetide gazâ
(Luce vel imprimis feſtâ) ſplendeſcere quærit.
Talibus illecebris & cultu ſimplice florens,
Purâ fronte micans, operoſæ Idyllion artis
Nil ſapit, aut vanæ uſurpat ludibria pompæ.
Ingenui ſpecies candoris amœna decenter,
Faſtu tota caret, ſimul ambitioſa ſuperbi
Carminis ornamenta fugit, nec grandibus ambit
Turgere ampullis; mulcet dulcedine ſenſus,
Illaqueat vinclis ſincera tenacibus, aures
Blanda ſonans verſu ſemper tenet irretitas.
Vatibus aſt labor eſt non raro ars Carminis hujus.
Sæpe Poeta operi incumbens, dum ſe angit inani
Conſumptus curâ, ſudans ſimul irrita, plectrum
Abjicit & numeros temerè quæ reddit inertes
Barbiton. Inde alio correpta furore Camœna
Intonat horrendum, ſectatur inania pompæ,
Implens ſtulta tubam dum Paſtoralia ludit.

Pan averſatus ſe velat arundine glaucâ,
Naïades exoſæ ponto latuere profundo.
Contra alius linguam expediens abjectus agreſtem
Paſtores inducit idem quod turba loquentes
Rurigenûm, auriculis tormentum immane tenellis.
Verrit humum verſus, fœdo oblita pagina quæque
Dedecore: Hîc credas ſua luxuriantia cultu
Ronſardum Gothico nobis Idyllia rurſus
Stridenti miſerum vatem diſperdere avenâ.
Scilicet oblitus numerique ſonique Poeta
Infelix Antoniolam pro Phyllide reddit,
Pro Lycida dat Petreolum diſcrimine nullo.
Eſt via difficilis vitium inter utrumque teneri.
Semita ſed ſalebris, mihi credite, munda patebit,
Se modo Virgilius, florenſque Theocritus addant
Ductores, greſſumque regant per dura viarum.
Scripta virûm teneris intincta leporibus, alma
Quæ Charis afflavit divino munere alumnis,
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

Una Poetarum ſed enim monumenta docebunt
Aurea, quî parvis queat edere rebus honorem
Nil læſo ſcriptor rigidæ gravitatis honeſto.
Promptum erit his ducibus Floræ celebrare virentis
Munera, & irriguos rivis bullantibus hortos
Pangere, fœcundâ viridaria conſita plantâ
Pomonæ varias & opes, & dona Lyæi;
Mænalioque duos certamine vincere palmam
Paſtores cupidos incendere laudis amore,

Illita deliciis extollere vulnera amantum,
Quæ volucer pulchrâ infligit cum matre Cupido,
Narciſſum in puri formam convertere floris,
Laurigero caſtam circumdare cortice Daphnen,
Quâ tandem arte, ſtylo tenui licet, Ecloga rura
Et ſylvas quandoque poteſt vel Conſule dignas
Reddere. Vis hæc eſt & gratia Carminis hujus.

Vox Elego paulo ſonat altius, at tamen olli
Nil tumidum, niteat quantumvis pulcher. Amaro
Funera proſequitur luctu, effuſuſque capillos
Incumbit tumulis, habitu deformis, & ore
Luridus. Ille tamen curas & gaudia amantum
Diverſaſque vices habilis deſcribere verſu;
Sæpe minis aſper, ſæpe illecebroſus, & iræ
Accenſus ſtimulis, aſtu ſic captat amicam.
Hæc ſtudia atque modos, varioſque Cupidinis æſtus,
Qui velit ingenuâ mihi deſignare tabellâ
Huic opus eſt Paphiâ caleant ut pectora flammâ,
Et bene doctus amet. Nil prodeſt eſſe Poetam.
Quis ferat horridulo Muſam ſine fine rigentem
Frigore, quæ ſermone nihil niſi Cypridis ignes
Idaliaſque faces jactat. Quid ineptius illâ
Gente virûm quibus ars eſt ſe torquere beatis
Ærumnis, & perpetuum ſimulare furorem
Edomitæ mentis ſanis licet omnia conſtent.
Dulcia quæ affingunt ſibi vulnera, fucus inanis
Verborum merus. Ipſi habiles ſibi vincula tantùm
Nectere, ſervitii & ſibi ſorte placere decori,

Carcerem amant : ratio pluſquam civilibus armis ,
Et ſenſus , illis bellum incendentibus ardent.
Non ita ridiculè inſanus , ſua carmina quondam
Suſpirabat amans Tibullus amore magiſtro.
Longè & diverſâ inſtituit te , Naſo , palæſtrâ
Dexter amor , documenta ſuæ dum ſedulus artis
Lecta dabat puris Charitum manantia ſuccis.
Nil animi præter ſenſus Elegeïa poſcit.

Fortior aura levat pennis audacibus Oden ,
Sidereis ſuperûm conſortem cætibus addit.
Illa aperit Pugili Piſeo in pulvere campum ,
Victoremque canit , cum pulvere tectus honeſto ,
Ferventem currum , caveâ plaudente, reducit.
Sanguineum illa potens ad Xanti littora Achillem
Ducere , vel Magno Lodoïco ſubdere Scaldim.
Nunc ut apis florum incumbens operoſa labori ,
Ore trahit ſuccos , vicinaque littora prædis
Aſſiduis ſpoliat , nunc & convivia , ludos ,
Nympharumque choros feſtivo carmine dicit.
Baſiolum laudat dein melle ſuavius Hyblæ ,
Iridis impreſſum furto felice labellis ,
Baſiolum averſo primùm quod molliter ore
Sævitia facili detrectat , fortius ut tu
Vincla tenax nectens rapias quod Nympha negavit
Blandè difficilis. Sed & Oden impetus aufert
Sæpe ſuus trito de tramite , nempe opus artis
Eximiæ eſt illi quod ſic concinniter erret.

Frigiduli procul hinc ſcriptores queis riget arctè

Mens conſtricta metu vel dum furioſius ardent.
Nimirum heroïs contexere maxima facta
Aggreſſi, annorum ſeriem ſectantur inertes,
Tempus norma viris. Tantiſper ab ordine rerum
Cedere culpa foret. Fronti ſerviliter hærent
Quæ ſemel occurrit. Dolam ſibi ſubdere victor
Non poterit Lodoix, niſi ſe prius Inſula Regi
Subdiderit, Muſæque labor ſubverterit imo
Curtraci turres & propugnacula fundo.
Semper deſeruit ſegnes vis Enthea Phœbi.

Fama eſt (propoſito quadrat apte fabula) Pindi
Rectorem hunc ludo quondam ſtatuiſſe procaci
Cudere tormentum Francis immane Poëtis,
Hocque animi ſtudio leges fixiſſe ſeveras.
Inde Poëmation Phœbo eſt authore repertum,
Bis ſeptem numerans arguto ſchemate verſus.
Nempe Deo placitum eſt hac lege quaternio duplex
Hocque pari metro conſtet, dein perſonet apte
Rhythmus & ipſe duplex octonis verſibus aurem,
Dein niteant ſex inſtructi pulchro ordine verſus,
Quod duplex ſenſu perfecto ternio claudat.
Demum nulla operi conceſſa licentia. Normam
Ipſe Pater, numerumque modumque notavit Apollo.
Nil humile admittit, ſonat omnia grandia metrum.
Nacta locum jam vox non audeat ulla redire.
Aſt illi formæ ſummum decus addidit autor.
Ut perfecta nitet magnum æquat opella Poëma.
Sed ſibi mille placent ſcriptores omnia vani

Ceu ſummam attigerint operoſi carminis artem,
Nullibi viſus adhuc eſt Phœnix ille beatus.
Excute Gombaldos, Manardos, & Malevillas,
Eximii fœtus occurrent vel duo vel tres
Iſtius formæ mille inter opuſcula. Quidquid
Eſt ſuper, hoc prorſus Pelteri affine labori,
Æquè neglectum blattæ foret eſca voraci,
Ni citò Serciades forulis extracta tabernæ
Venum ſcripta daret vendentibus & piper & thus.
Ut certis aptè conſtet ſententia metris,
Arctius eſt metrum vel idem productius æquo.
Liberius ſed ſe ſpatiis brevioribus arctans
Dic Epigramma quid eſt niſi ſalſo argutia ſenſu,
Tinnula quam duplicis commendat gratia rhythmi?
Hæc ſalis immodici Majorum neſciit ætas
Schemeta, Franciadas ſtultâ imbuit arte Camænas
Gens Italûm. Inſanis fulgoribus icta repente
Hoc avidè arripuit male cauti inſcitia vulgi
Aucupium; ut cæpit ſors proſpera flare ſecundis
Ominibus, ſubito irrumpens audacia præceps
Diluvio Pindum invaſit, lateque ruinam
Intulit hoc ſtudio; Muſas corrupit Iberas
Auſoniaſque lues. Nil carminis i[illegible] Poëtæ
Parturiere, iſtâ quod non contage laboret.
Hunc ſibi delicias grandes cepere cothurni
Artificem fucum; ſua luctûs & ſua amoris
Arte pari, imparibus quamvis Elegeia metris
Expreſſit ſtudia, affectans laudem oris acuti.

Argutùmque loqui ſcenis dècus autumat heros,
Et nil blandus amans niſi ſuſpiravit acutum.
Non auſus Daphnis dulces pulſare querelas,
Arguto niſi ſic modulamine acuta loquendo.
Huic potius ſic hirſuto ſermone rigere
Quam ſervare, fidem. Aſpectu vox quæque bifronti.
Hunc etiam cultum adſcivit ſibi ſermo pedeſter,
Horridus hoc egit Patronus acumine cauſas.
Ipſe quoque ingenioſa ſtyli ornamenta ſecutus
Expediit fidei populis oracula Præco.
  Dedecorum impatiens, tenebras noctemque profundam
Excutiens ratio, argutæ ludibria Suadæ
Diſpulit, & fronti malèſanæ vulnus inuſſit
Æternis inſigne notis, vetuitque nefandas
Ulterius ſanis ſermonibus addere fraudes.
Tali judicio infamis, ſed & omnibus exul
Pulſa locis, uno ſedem eſt Epigrammate nacta,
Dummodo ſe ſalſam (ratio ſic ſanxit) & apte
Argutam numeris præſtaret, ſic ut acutè
Non verba, at ſano ſaperet ſententia guſtu.
Ordine ſic recto cæperunt cuncta nitere.
Una ſibi aſſeruit b[illegible]thrones curia Regum.
Aula tulit miſere fatuos, ſanniſque procaces
Ludere ridiculis & inepto ſcommate ſcurras.
Non tamen adſcribas culpæ, ſi quando Camœna
Tincta ſale urbano feſtivè ludere certans
Ancipiti vocis formâ ſibi ſumat abuti.

Laſcivire

Laſcivire modum tamen ultra, Muſa caveto
Sedula prudenter nec ſemper acumine ludens,
Molire ingrato male ſalſum Epigramma lepore.
Omne decens proprio ſe flore Poëma tuetur.
Magna Poëmatio quod pangitur ore rotundo
Gratia ineſt. Francæ Metrum peperere Camœnæ.
Priſci Drama tenax moris, nil ſæpe decori
Oſtentat niſi quod rhythmi indulſere procaces.
Et cui Madrigale dedit ortum cantio, ſeſe
Simplicior formâ ſed cultu ornatior offert,
Nil præter ludos ſpirans, nil præter amores.
Dein ulciſcendi mage prudens gloria Veri.
Quàm furor immodicus carpendi, armavit ïambo
Audaci ſatiram. Princeps Lucilius artis.
Ille facem primus vitiis præferre pudendis
Romulidum eſt auſus, virtutis fervidus ultor,
Quam pede dives opum fatuus calcabat iniquo;
Non ſemel aggreſſus lectice imponere, Damâ
Excuſſo, civem præclarum qui pedes ibat.
Hos acres ſatiræ morſus & felle madentes
Lenivit numeros Flaccus vafer, arte facetus
Eximiâ. Nulli cenſuræ fallere ludum
Fas animi morbo. Væ nomen cui fuit aptum
Tantiſper ſalſæ verſus incurrere Muſæ,
Nil læsâ juſtâ metri numerique figurâ.
Verſibus obſcuris nervoſo at robore preſſis
Perſius agglomerat res ſanus, verba nec ambit.
Clamoſæ Sophiæ Juvenalis pulpita quaſſans,

Semper inexhauſtis ſua ſæva furoribus arma
Expedit horrendi ſimul & ſua dogmata Veri
Plena tonans, Charitum donis excellit, ubique
Æterno radios illuſtres fulgure vibrans.
Seu poſtquam Capreis advenit Epiſtola grandis,
Frangit adorati faciem toto orbe ſecundam
Sejani; ſeu cum pavidâ formidine victos
Romulidum proceres vocat intra tecta Tyranni,
Agmen adulantum quos pallidus inficit horror,
Concilio adſtantes, fœdeque ad juſſa paratos.
Aut ubi monſtroſæ portenta libidinis atrox
Exagitans, pingit ſub fornice Meſſalinam
Proſtrantem mercede pari cum pellice vulgi.
Muſa Viri vivo paſſim ſplendore coruſcat:
Ignes ſcripta vomunt. Magnis ſe fingere ſolers
Exemplis, illos unus ſectarier audax
Regnerius, pulchram nobis hanc reddidit artem.
Vati longa ſitum quamvis obduxerit ætas,
Forma ſtyli veteris ſpirat tamen illa lepores
Mille novos. Felix cynico niſi quando furore
Luxurians, caſtas ſine more procacibus aures
Terrificat numeris, & queis aſſueverat autor
A puero, impuras afflat male fornicis auras.
In verbis rigidum ſermo non ſervat honeſtum
Auſonius, ſed ſe Francus reverenter haberi
Uſque cupit Lector. Si quid ſententia guſtu
Salſa ſapit minus auſterum, ſe protinus ille
Offenſum queritur, caſto niſi verba pudore

Emendent ſibi quod maleſuada licentia ſumpſit.
Se ſatira imprimis commendet flore pudico
Candidulam. Impoſtor longè fuge præco pudoris,
Dum notat impuram veſana audacia frontem.
Ex illo fluxit popularis cantio fonte,
Salſa, ferax fundens dicteria. Protulit illam
Libertas ſatiræ, dein ingenioſa malignè
Uſurpans ſparſit magnas Gens Franca per urbes.
Muſa habet illecebras quamvis temeraria dulces.
Famam voce ſibi gliſcens & quærit eundo.
Lætitiæ fœtus media inter gaudia Bacchi
Exprimit exultans noſtros hac indole mores.

Parce ſacris tamen illuſor, Superâ arce Tonantem
Relligione Deum purâ reverere, profani
Argumenta cave ne ſint Myſteria ludi.
Scilicet hæc cœlo oppedens argutia quidquam
Nil parit autori, niſi quod cum carmine tandem
Exceptus laqueis Themidis, cruce vel face pœnas
Impuri pendat, miſerandâ ſorte furoris.

Judicium hæc etiam res ludicra poſcit & artem;
Fors tamen, & læti liquor ingenioſus Iacchi,
Dictavit Muſæ tolerabile carmen agreſti,
Linieroque, metrum, genio & ratione carenti.
Verùm, fauſta licet ſemel aſpiraverit aura,
Heu cave veſani fumo turgeſcere faſtûs.
Dulciculi viden' ut metri ſe frivolus autor
Sorte ferat tumidum; ſibi jus nomenque Poëtæ
Protinus uſurpat, nec lectum deinde ſubibit,

Ante viro Euterpes aliquis niſi floſculus extet;
Mane labor venæ uberior. Sex (adſpice) Muſæ
Uſque habet in promptu fœtus numerate canoræ.
Et mirum fuerit furioſo turbidus æſtro,
Ni mandata typis fatui deliria ludi
Publicet, & nitidâ radiantem in fronte libelli
Vatem Phæbæâ redimitum tempora fronde,
Nantolii expreſſum ſcalpello oſtendat imago.

CANTUS III.

NULLA eſt vel monſtri ſpecies tam tetra vel anguis,
Felici quæ non queat arte expreſſa placere.
Artificis dextræ labor ingenioſus, amœnâ
Vel formam horribilem potis eſt effingere formâ.

Arte pari, ut placeat, luctu confecta decoro,
Oedipon horrendâ miſeranda Tragædia Scenâ
Exhibet, immani incendentem voce dolores,
Atque ſibi propriâ fodientem vulnera dextrâ.
Et trepidum Parricidam dum monſtrat Oreſtem,
Exprimit & lachrymas & eodem gaudia ludo.
Vos ergo, vos ô! ſtimulis quos acribus urget
Gloria palmæ avidos hac decertare palæſtrâ.
Si vos laudis amor præclaros edere fœtus
Ingenii premit, & ſcriptis clareſcere, magna
Quæ plauſu excipiat fervente Lutetia ſemper,
Certa placere magis quo crebrius acta Theatris,
Et poſt multa pari repetantur luſtra favore.
Enthea vis addens ſermoni fervida nervos
Incendat ſenſus, & pectoris occupet arcem,
Et trahat accenſas quo vult inflectere mentes.

Ni pectus blando correptum ſæpe furore,
Vel dulci terrore fremat, vel viſcere amico
Commotum pulchro diſcat miſereſcere luctu;
Nequicquam doctæ inſtauras miracula Scenæ.
Se ſpectatoris ſtudium ſermone remittit
Frigidulo, nihil imprimis tibi parcere proni.
Quidquid vana pigræ jactet facundia Suadæ,
Aut ſomnum trahit, aut cenſor te rodit acerbus.
Artis opus primum eſt & ſumma movendo placere.
Finge vafer laqueos qui me conſtringere poſſint.

Actio ſe exertet vel ſcenâ ineunte parata
Explanare viam felicius argumento.
Quis ferat autorem cui torpens frigore lingua,
Propoſitum votumque animi extricare laboret?
Ambiguæ ille rei nodos mihi ſolvere inceptus,
Tormento vertit quod debeat eſſe voluptas.
At multò fuerit conſultius edere nomen
Heroës vellent. Agamemnona habetis Atriden;
Ille ego ſum infelix ultor genitoris Oreſtes.
Sic fari potius fuerit, quàm vana loquendo
Tot rerum portenta (bonæ dum frugis inanis
Mens friget) pompis aures pulſare canoris.

Nil molire prius res quam explanetur agenda.
Cura loco Scenæ par eſt adhibenda notando.
Ardua Pyrenes trans culmina, ſæpe Poëta
Luce brevi incluſit multos feliciter annos
Dans Scenæ; brevis & Spectacli non ſemel heros
Vagiit in cunis primo miſerabilis actu,

Extremo tibi barbatum quem fabula reddit.
At nobis quos lex ratio regit unica Veri
Regula, ſe prudens ſemper facili expedit arte.
Uni addicta loco, ſpatiis incluſa diei
Unius, pleno res ſufficit una Theatro
Materiem ludi; à primo ſuccedit ad imum.

Nullam incredibilem ſpectantibus objice formam.
Diſſimile eſſe poteſt Vero, mihi credite Verum.
Abſurdi ſpecies monſtri me turbat & angit.
Credere quæ renuas mentem nihil ulla movebunt.
Quod viſu horribile eſt, prudens ſermone Camœna
Expediat. Poterit res certè invadere mentes
Promptius, aſpectum ſubeat ſi prona fidelem,
At ſunt quæ prudens ratio ſubducat ocellis,
Segnius ut lædant tantùm demiſſa per aurem.
Ut gliſcunt Scenæ fœcundo Ænigmate nodus
Se magis atque magis ſolers involvere pergat,
Donec ad extremum facilis ſe ſponte reſolvat.
Nil etenim mentes argutius afficit, inter
Ambages ubi perplexas nodoſque doloſâ
Arte ſatos hærent, quàm cum lux ſplendida Veri
Emergens ſubitò tenebris, & ſolvere nodos
Prompta, novam inducit faciem, lætoque ſereno
Cuncta beans, reficit placidâ præcordia pace.

Nil habuit pulchri naſcendo Tragœdia cultûs.
Saltantum Chorus informis cantabat Iacchi
Dona, Deum votis certatim & carmine mulcens,
Spumaret plenis læta ut vindemia labris.

Lætitiâ exultans, & vino fervida pubes,
Dum ludo indulgens trahit ocia, voce canorâ
Qui primas tulerat celebrans nova munera Bacchi,
Cantori hircus erat merces. Fæce oblitus ora
Primus per vicos vexit nova ludicra Theſpis,
Actorumque onerans male culto examine plauſtrum,
Ruſticulæ edebat ſpectacula dulcia turbæ.
Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Æſchilus Actores prudens formavit agreſtes,
Inſeruitque Choro, dein vinctos crura cothurno
Aſſeribus ſummi ſublimes rite Theatri
Extulit. Ingenio felicior inde Sophocles,
Cultior harmonicis pompam concentibus auxit.
Hoc auctore chorus ludo eſt incertus, & omnis
Actio conſortem adſcivit, dein ipſe ſeverâ
Expoliens limâ rudioris carmina Muſæ,
Illud opus ſublime ſuâ ſic extulit arte,
Illecebriſque potens divinitus imbuit hauſtis,
Ut Latiæ obrueriт ſemper molimina Muſæ
Græca Charis, certa hac Romam ſuperare palæſtrâ.

Majorum pietas plus æquo auſtera, Theatri
Plena voluptatis tot honeſtæ gaudia ſemper
Exploſit capitali odio. Si credere famæ
Eſt animus, primùm regina Lutetia vidit
Ruſticulæ plebis conſcendere pulpita turbam.
Reginam ſuperûm, Divos, ipſumque Tonantem
Ludebat pia ſimplicitas, & neſcia fraudis.
Expunxit radiis doctrina potentibus illum

Ridiculæ

Ridiculæ errorem pietatis ; juſſa ſilere
Imprudens tandem legio ſanctequе profana
Pulſa loco ceſſit. Succedere Pergamos, Hector ,
Andromache. Antiquam modo juſſi ponere larvam
Actores. Fidicen concentûs munia geſſit
Atque Chori , implevitque vices modulamine blandas.
Tunc amor imperium uſurpans regnator ubique
Invaſit libros commentaque dulcia amantum ,
Omniaque addixit fortis ſibi jura Theatri.
Quid non vincit amor ? non certior ulla poteſtas
Expugnare animos , & dulci corda veneno.
Pingite (per me fas) flammis heroas amoris
Ardentes ; ſed dulciculos mihi parcite ſcenis
Fingere Paſtores. Aliter ſuſpiret amorem
Pelides , aliter Thyrſis , pulcherque Philænus ,
Nec facite Artamenem inſano molimine Cyrum.
Sæpe amor & curis male toſtus , & anxius æſtu
Ambiguo ,inſigni virtutis nomine nunquam
Fulgeat , aſt mentis furor & veſania ſimplex
Audiat. Imprimis curas arteſque minutas
Deſpicite heroum quos ludius aggerat author.
At tamen interdum magnas non dedecet error
Virtutes levis. Ipſe etiam minus acer Achilles
Si ſcenam ſubeat , fors deſpectabit inertem
Spectator. Cordi eſt ſi quando injuria fletum
Magnanimo excutiat Victori ; denotat inſtar
Hoc culpæ fidâ pictos in imagine vultus ,
Naturæ ingenuos. Hac illum pingite formâ.

Muſa Mycenæum ſi forte reponit Atridem,
Ore ferox, propriæque rei compendia quærens
Pingatur, tumiduſque ſuo præcordia regno.
Æneas pietate gravis cultuque Deorum
Splendeat auſtero: propriâ micet indole quiſque
Deſcriptus. Mores populorum & ſæcula luſtra.
Deſignant varias vario diſcrimine gentes
Et terras ſtudia. Haud color eſt regionibus idem.
Omnibus, aut eadem ſtat vitæ forma regendæ.
Romulidum auguſtos proceres (quod Clelia ſæpe
Nugatrix peccat miſerabile) neu mihi Erancis
Imbutos ſtudiis, noſtratis & indole cœli
Pingite, neu veſtros Romano nomine mores
Ut datis in ſcenâ, culto mihi flore Catonem
Fingite, vel Veneris ſectantem ludicra Brutum.
Condonas facilis veniæ quod frivola garrit
Fabula, ſat fuerit ſi curſim vana legentem
Fictio delectet; foret importuna ſevero
Tum cenſura ſuo. Verum rationis amuſſi
Auſterâ ſe ſcena regit, rigidoque Decoro.

Perſonam formare novam ſi quando neceſſe eſt;
Qualis ab incœpto proceſſerit ultima talem
Scena det, actorique fideliter omnia conſtent.
Scriptor nempe placens ſibi plurimus exhibet omnes
Heroum formas ſimiles ſibi. Scriptitat illa
Imprudens, & nil ſibi conſcia pectora geſtans.
Vaſconis in ſcriptis, heros & omnia Vaſco.
Calprenedes & Juba pari illic ore loquuntur.

Prudenter variam variâ Natura figurâ
Se probat, & motus, animi mage diſcolor effert.
Verborum elatos ſibi poſtulat ira furores,
Mitior ore ſonat quæ ſors premit aſpera feſſum.
Ne Priami conjux, dum flammis Pergamos ardet,
Immanem pulſet furiis accenſa querelam,
Nec ſtulto putris doctrinæ turgida faſtu,
Exponat ſtolidè extremi quibus orbis in oris
Se Ponto Tanaïs ſeptena per oſtia miſcet.
Hæc ubi declamas rapidâ ferventia pompâ,
Verbis ſtagnantem at rerum te oſtendis inanem.
Quem dolor affictat, verbis habituque modeſtum
Se gerat, & criſtas ponat. Te flere priorem
Nempe decet mihi ſi cupias extundere fletus.
Verba tot actori contortuplicata rotatu
Fulmineo, ſunt hæc nimirum accommoda fraudi,
Nec ſapiunt verè miſerantem incommoda Muſam.
Sed ſtetit hîc ſemper magno diſcrimine ludus
Ille Theatralis, nec ſimplex alea ſcenæ
Excipit artifices. Operoſi Carminis author
Dente laceſſitus gemuit plerumque cruento,
Nec facile eſt illic certâ ratione placere.
Sibilus eſt ſemper ſcriptorem explodere promptus.
Cuique licet fatuum mordaci ſcommate Vatem
Dicere, jus illud nummo præſente paratur.
Lubricus in varias quot ſeſe vertere formas
Cogitur ut placeat! Nunc ſe demittere, jam nunc
Grandia ſectari, ſemper ſublimibus altè

Excellens ſtudiis florere, profundus, amœnus,
Argutus, faciliſque diſertus flumine linguæ,
Quin, ſemper fulgore novo percellere mentes
Attonitas habilis. Miris ſplendere ſubinde
Prodigiis, & dum tot partes expedit æſtu
Tam vario, ſic verba ſerens ſermonis & artem
Se gerere, ut ſpectatori pars excidat acta
Nulla rei, at firmis ſemper radicibus altè
Infixam ſervet præclaro & flore recentem.
Hic vates hic eſt & ſemper debuit eſſe,
Hoc exemplati qui ſcenam eſt auſus inire.
Scilicet autoris forma hæc genuina Tragœdi
Vivit adhuc. Vaſto molimine grandius auras
Spirat Epos. Longum ſerie complectitur agmen
Actio multiplici pompâ ſpectabilis, illam
Fabula ſuſtentat, figmento ſpiritus & vis
Accedit. Mille illecebris fœcunda tenaces
Molitur laqueos, omnes & cerea formas
Induit, arte animam rebus vultumque loquacem
Omnibus affingit. Virtus huic eſt Dea quæque,
Huic Venus eſt formæ decor, eſt Prudentia Pallas,
Non jam intemperie vapor æger parturit ignes
Et ſtrepitum tonitrus importunoſque fragores.
Jupiter eſt quatiens iratâ fulmina dextrâ.
En ſubito exoritur vento ſtridente procella,
Nautarumque pavor trepidantia pectora pulſat,
Neptuni furor eſt, undas tridente coercens
Impetus. Haud ultra ſonus Echo & vocis imago,

Collibus & ſaxis juxta ingeminata reſultans,
Eſt gemitus. Nymphæ quæ molli ſaucia flamma,
Narciſſi queritur faſtidia dura ſuperbi.
Hoc tanto luxu rerum & ſplendore novarum,
Amp[illegible]ſa ferax quas agglomerat, Vates induſtrius ornat,
Et florum pa[illegible] cultuque inſtaurat cuncta decoro,
Æneas vento vaſtis & [illegible]or illi dives abundat.
Appellat Lybicis quaſſâ rate [illegible]ibus actus,
Vulgaris caſus, quales ludibria ſo[illegible]us oris,
Adverſæ plerumque creat mortalibus ægris
At Juno æternum ſervans ſub pectore vulnus,
Indomitoſque iræ exercens ſine fine furores,
Quod premat affligtans, & cuncta per æquora vexet
Relliquias Trojæ, ſociam ſed & Æolus addat
Fautor opem Auſoniis miſeros longè arceat oris
Æneadas, rabidos educens carcere ventos
Æolio, demum ſummâ caput efferat undâ
Neptunus domitor, dicto tumida æquora placet;
Detrudat naves è ſyrtibus, atque tridenti
Ipſe levet, denſaſque fugans toto æthere nubes,
Almum reſtituat poſt triſtia nubila ſolem.
His ſtupet attonitus monſtris ſpectator, & artem
Admirans, ludit rahitur dulcedine vinclis
Eloquii implicitus, ſtudioque flagrante ſubactus.
Serpit humi miſerè decore hoc ſpoliata Poëſis,
Imò extincta jacet. Sacro divinitus æſtu
Ille flagrans Vates, Orator frigidus eheu!

Commenti aut gelidus fiet narrator inepti.
Ergo malus noſtris irrepſit Vatibus error,
Hæc ubi tot ſcenis rectâ ratione recepta
Ornamenta ſuis interdixere Camenis,
Atque adhibere Deum, ſuperos, ſanctoſque Prophe-
tas
Carminibus ſibi ſumpſerunt ut ficta pr... ubinde
Arte Poetarum tot numina. N...cendit ad umbras.
His ducibus Lector St...ſal, princepſque catervæ
Lucifer, Aſtar..., manus haud ignara nocendi,
Belzebu... roceres incœptis omnibus adſunt
Tacti, furiis ſuccincti, immane furentes.
His aptare modis divino numine plena
Chriſtiadum gentis myſteria non leve quippe
Eſt ſcelus; ingenuis nil ſancto codice alumnis
Officii ſacra lex præſcribit præter amaræ
Aſperum iter vitæ. Labor unus ſcilicet illis
Addictas ſceleri pœnas lenire gemendo.
Quin, miſcere ſtudes Sacris ubi vana, vereri
Sana monet ratio ne fiat fabula verum.
Proh! qualis ſpecies ubi ſemper Dæmonis atri
Objectas faciem, cœlique laceſſere Regem
Inſtituis probris impuræ & verbere linguæ!
Non pudet æternâ ſic regem inducere ſcenâ
Tartareum ſummo audacem inſultare Tonanti,
Et Martis velut æquali diſcrimine certet,
Palmam affectantem? Taſſo feliciter illa

Scilicet ars ceſſit. Non eſt intendere litem
Hîc animus Taſſo ; ſed quamlibet ardua Vatem
Aura levet, támen hoc operis ſe flore ſuperbam
Italia efferret multò minus, eſſet & illi,
Fama minor, ſapiens ſi relligione ſeverâ
Orandi ſtudio addictus nil tenderet heros
Quàm Satânam & Furias domitare nigrantis Averni.
Profuit uberius Vati quod tempore demum
Captato, Argantum, Reginaldum, dein face Amoris,
Ardentem pulchrâ Tancredum pingere tandem
Aggreſſus, ſpeciem ſibi conciliavit amœnam.
Non quod ego lentus patiar ſtudia Ethnica quemquam
Uſurpare palam & ludo affectare protervo,
Res ubi Evangelico tractatur ſeria more ;
Aſt ubi quid ſcenâ parat edere Muſa profanâ,
Dulcia feſtivo parere aptum gaudia verſu ;
Qui ſibi durus opem hanc Vates adhibere recuſet,
Quam fœcunda modis affert tot fabula miris ;
Qui velit æquoreo Tritonas pellere regno,
Detrahere & Pani calamos, ſua ſtamina Parcis,
Fatali demum cymbâ ſpoliare Charontem,
Quâ Rex & cuſtos gregis æquâ ſorte vehuntur,
Hunc ſtulta anxietas & vanus ſcrupulus urit,
Illecebriſque carens vult illecebroſus haberi ;
Et modò crimen erit gravibus Prudentia curis
Picta notans frontem, nec erit fas deinde bilance
Inſtructam Themidem & velatam tempora limbo,
Vel Martem æratâ ſpirantem prælia fronte.

Informare, ſuoque fugax dare denique Tempus
Cum Clepſammidio. Quin mox erit, ut ſua vani
Somnia jactantes, & relligione feroces
Ridiculè auſterâ præclaro fonte nitentem
Extinguant Allegoriam. Sibi credulus error,
Ut libitum eſt, placeat. Nos nil terroribus ægros
Cæca ſuperſtitio quos & parit & fovet, acri
Nos, inquam, decet hic fortes incumbere curâ,
Ne mentis cæcâ illuſis vertigine, noſtra
Authorem Veri faciant ludibria nobis
Mendacem, & fuci ſub cortice vana foventem.
Nempe placere animis eſt mille coloribus apta
Fabula, nulla offert non oportuna Poëſi
Nomina, quam blandùm ſonat auribus ille Agamemnon
Rex Regum! Paris, Æneas, verſutus Ulyſſes,
Idomeneus, Hector, Menelaus, & ille dolori
Præda datus toties ſcenis agitatus Oreſtes.
Porrò putidius ſed nec furioſius unquam
Nemo viſus adhuc mihi delirare Poëta,
Sordidulo hoc, qui, cum Pindo fas eſſet in alto,
Carminis heroem è magnis tot Regibus unum
Eligere, affectat ſibi ſumere Childebrandum.
Sic plerumque poteſt uno ſordeſcere carmen
Nomine, barbariem dum primâ pagina fronte
Sic ſapit, & duro lectores omine terret.
Æternùm vultis certâ ratione placere,
Et ſtudia egregio ſemper defigere ludo,

Vindicet heroem prudens ſibi Muſa, ſuperbo
Quem meritum curru ſublimibus ardua factis
Extollat virtus, quem ſpiritus, auraque ſemper,
Quidquid agat, ſonet heroem, quem fama loquatur
Per populos, lateque oſtentet nuncia Veri.
Nil ſit Alexandro inferior vel Cæſare, fido
Sit demum exemplo Lodoïcum pingere felix.
Nemo perfidiâ infames adducere ſcriptor
Audeat Oedipodas fratres. Vulgaria nec quid
Facta juvant. Qui nil præcellit, nil ſapit heros.

Eventis ne luxuriet res fœta, cavete.
Iram Pelidæ Vates induſtrius arte
Sic habilis tractat, magnam ut queat una creare
Iliadem; plerumque inopes nos copia reddit.
Nervoſus, ſi quid narres, & vividus eſto.
Pingere ſi quid opus, pompam facundia dives
Exerat hîc omnem, & fœcundo prodiga luxu
Ambiat eximiis ſplendere coloribus artis.
Nil humile aut vanum decet iſti adtexere formæ.
Ille mihi planè fatuus, qui vaſta profundi
Deſcribens pelagi ſpatia, Iſacidaſque tyranni
Servitio excuſſo incolumes, iter alta ſecantes
Per freta, & aggeſtos undæ ſtagnantis acervos,
Hinc atque hinc fluctu ſeſe cumulante, Tonantis
Imperio, piſces avidos ſpectare, feneſtris
Admovet. Hinc varios poſt curſus atque recurſus,
Infantem inducit ſpumoſa per æquora ſalvum,
Gaudentem Matri teretem oſtentare lapillum.

Eſt exſors frugis labor iſtæc frivola tractans.

Denique opus juſto ſpatioſum limite conſtet.
Inceptum formâ nitidum ſe ſimplice prodat.
Parce ſtatim (tibi ventoſas licet explicet alas
Pegaſus) horrendum clamans, terrere legentes,
QUI DOMUIT MUNDI DOMITORES HUNC EGO CANTO.
Quid tanto dignum feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
O! mihi quàm ſenſus demulcet lenius ille,
Qui nec promiſſis turgens, nec magna profeſſus,
Simplicis eloquii placidâ gravitate venuſtus,
Voce catus blandâ, mihi rem proponit agendam!
Arma Virumque cano inſignem pietate, Deorum
Qui juſſu Phrygiis primus deductus ab oris,
Italiam fato Lavinaque littora venit.
Fulmineos nihil hæc ſapiunt exorſa fragores.
Spondet pauca, dehinc ut prodigialiter aureo
Dives opum luxu, promat miracula mille.
Confeſtim videas hunc gnavis fata Latinis
Dividere arbitrio, Stygiæque voraginis atrâ
Ferventes pice torrentes, amnemque ſeverum
Eumenidum, & nigros fluctus Acherontis avari
Pingere, & Elyſio in ſaltu jam tum genus errans
Cæſareum, quondam præclarum in nomen iturum.

Innumeros operi adſciſcat ſtudioſa colores
Calliope, arridens & ubique moretur ocellos
Ornatu vario locuples cultuque figura.
Muſa poteſt grandis ſimul & ſimul eſſe venuſta.

Me ſublime gravat cum frigore torpet inerti.
Et commenta juvant Arioſti ludicra ſanè
Gratius, Authorum quàm frigida turba rigenti
Queis adſtricta gelu præcordia nil niſi mœſtâ
Suppedit[illegible]ecie imbutum, qui nube ſeverâ
Æternùm obſcuri, vultum ferrugine denſâ
Rugoſi, ſibi dedecoris magnum inſtar haberent
Si quando elueret frontis Charis alma rigorem.
Mæonides age quid blandum non ſpirat Homerus?
Artificis curâ Naturæ ſcilicet ille
Excultus, Veneri illecebras, arteſque placendi,
Felici furto, proprias ſibi fecit & auxit.
Huic ſcatet, immenſis opibus, plenoque redundans
Flumine vena ſalit; totus fluit aureus. Olli
Cuncta manus inter ſunt gemmea, gratia ſemper
Flore novo ſcriptis exuberat. Illecebroſus
Delicias animis & gaudia ſpargit ubique.
Pagina perpetuum blandis huic ignibus ardet.
Nil diverticulis errans, nil lege ſeverâ
Ordinis adſcriptus, cuncta explicat, expedit, ornat.
Se res ſponte aperit, nil ardua, nil operoſa
Currit ad eventum nullo feſtina labore.
Magnifica ergo Viri vero devinctus amore
Scripta lege; hæc verſare fuit tibi quando voluptas,
Accreviſſe tibi magna hinc compendia certum eſt.
Artis opus magnæ, tironis nec labor unquam
Eſſe poteſt pulchrum cui conſtant omnia carmen.
Acribus ærumnis longùm & ſudante Minervâ

Eſſe data interiore gemunt concluſa tabernâ.
Sed placide, æterno concurrere marte ſinamus.
Propoſitum nullo diſtracti errore ſequamur.
Floruit ut tanto celebrata Tragœdia plauſu,
Succedens vetus huic Comœdia debuit ortum.
Attica plebs petulante joco fervere maligna,
More ſibi ingenito, non deſtitit edere virus,
Et mordace ſtylo, libuit quemcumque, ſecare.
Hîc honor, ingenium, ſapientia, præda furori
Ceſſerunt, vulgus cum laſcivire protervum
Arripuit priſcâ Patres gravitate verendos.
Hîc vates ludum populo ſpectante probatus,
Virtutem calcans, opibus diteſcere cœpit
Injuſtis; & Apollineo ſophus ille decorus
Elogio, plebis proſciſſus ſcommate fœdè
Nubibus inſertus, tulit hîc ludibria præſens.
Inſani tandem compreſſa licentia moris;
Et legum quæſivit opem normamque ſenatus,
Edictoque dehinc ſanxit, ne nomine quemquam
Aut vultu auderet ſignatum prodere Muſa.
Sic pudor & gravitas ſenſim acceſcere Theatris,
Sic cœpit virtute nihil Comœdia læsâ
Exercere jocos, ſine felle impingere dentem
Infenſum vitiis & delectare docendo.

Ante omnes palmam eximiâ tulit arte Menander,
Innocuus verſare ſales & imagine mores
Carpere ſic dexter. Speculo ſe quiſque tueri
Expreſſum gaudet, vel ſe non cernere fingit.

Imprimis riſum tollens lætatur Avarus,
Ut catus & mores & vultum adſpectat Avari
Ipſe dedit cujus ſpecimen normamque Poëtæ.
Ah quoties fatuus dextrâ feliciter arte
Redditus, ora videns verâ ſua picta tabellâ,
Credidit eſſe alium formam licet exemplarque
Tradiderit, tabula & nil det, nil detrahat ori.
Vos ergo, vos ô! quibus eſt res Comica cordi,
Queis animus præſens laudem hac captare palæſtrâ,
Sit vobis Natura labor ſtudiumque perenne.
Humanæ mentis cæcos penetrare receſſus,
Et tacitos aperire ſinus, qui callidus arte
Cunque habilis fuerit, totque abdita nocte profundâ
Corda virum lynceus pervadere; quid ſit Avarus
Qui norit, quid lurco vorax, quid prodigus, ater
Quid nebulo, Fatuus, Virtutis cultor, honeſti
Et Veri uſque tenax, variâ quid & indole teter
Ambiguuſque animi, quid Lividus, & furioſâ
Suſpicione ſuâ ſuperardens conjuge ſponſus.
Hac rerum præſtans doctrinâ funditus Author,
Tot diverſa poteſt nullo diſcrimine Scenæ
Prodere, viva poteſt & munere prædita vocis
In medios cœtus proferre, inſignia formâ
Quæque ſuâ, afficiens genuino cuncta colore.
Nulla placere poteſt ſpecies propriæ indolis exſors.
Scilicet omniparens naturæ fundus abundat
Diverſè miris affectibus, & ſtudiorum
Mille ſtupenda parit diſcrimina ſculpta ſigillo

Cuncta ſuo, variis animorum quæ dat habere
Senſibus & formis. Naturæ erumpit ubique
Ingenium, certis nullo obice ſe dat apertam
Indiciis, geſtu nutuque loquace triumphat.
At mens omnis eam non eſt deprehendere felix.
  Omnia ſed vertens ævi mutabilis hora,
Invertit ſpecies eadem motuſque animorum.
Sunt ſtudia ætati ſua cuique addicta, moduſque,
Et ratio, propriâque regens ſe lege voluntas.
Nunc viden' ut Juvenis quem verſat dira libido
Indomitum, pravis mora nulla accommodat aurem,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vaniloquo ſermone procax, pernix & amata
Deſerere, effrænem quem jactat cæca voluptas.
At maturior eſt ætas animuſque virilis,
Magnates ambit, prudens inſervit honori,
Adverſus vitæ caſus ſe munit acerbos,
Providus adſpectat quæ ſors ventura recondit.
Difficilem querulumque ſenem ſitis improba vexat
Semper opum, inventis miſer & ſibi ſemper egenus
Abſtinet, omnia iners timidè gelideque miniſtrat.
Temporis exacti laudator, carpere præſens
Non ceſſat, damnans quæ gaudia cumque Juventus
Immodicè captat livore malignus amaro
Invidet huic durus ſibi quod gravis abnegat ætas.
  Neu temere Actores inducite verba ferentes.
Nec Juveni partes unquam mandate ſeniles,
Nec ſermone ſenem juveniliter exultantem

Pingite ; Magnates vobis & funditus Aula
Cognita ſint. Sed & urbs opus eſt ſit nota potenter.
Hoc ſtudio excellens, præclaræ & more palæſtræ,
Molerius ſcriptis illuſtribus addidit & viro
Et decus. Hinc artis palmam fortaſſe tuliſſet,
Ni penitus populi captatrix Muſa, ſubinde
Corruptas ſtudiis vulgi induxiſſet ineptè
Tot rerum ſpecies Balathronis ludicra nempe
Affectat culti Muſæ ſociare Terentî,
Nec pudet objecto male laſcivire Decoro.
Hæc ſtolidè involvens miſeranda ſagena Scapinum,
Parte Miſanthropi auctorem non exprimit ullâ.

Comica res luctum & ſuſpiria funditus odit,
Nec ludo Tragicos ſtudet immiſcere dolores.
Sed nec ſic ludum male ſana exercet, ut alto
Sublimis ſcamno, plateâ fervente popelli
Fæce, velit plauſum male ſalſis carpere nugis.
Non decet Actores habitus niſi blandus & aptè
Nobilis. Extricet facilis ſe ſponte cadatque
Nodus, multiplici ambages cui texuit Author
Arte vafer. Præbente facem ratione ſeverâ
Se regat, & vacuâ numquam erret perdita ſcenâ
Actio. At interdum prudenter Dictio ſeſe
Efferat atque humilis ſtylus altè exſurgat, humoque
Se tollat dictis uſque oportunus acutis,
Affectuſque hominum tractet molimine dextro
Concinnus. Scenæ ſcena omnis adhæreat arctè.

Exercere jocos læſo ſuper omnia Recto

Parcite,

Parcite, naturamque ſequi ſit cura Parentem.
Proh! quam ſe mirâ gerit ille Terentius arte,
Exprimit ut Patrem qui Nato perditè amanti
Dat monita objurgans, quodque imprudentia peccat
Voce tonans carpit, quâ rurſum mente, tonantis
Auſcultat vocem Gnatus furioſus & exlex,
Ut Patre indocilis feſtinat abire relicto
Præcipitique fugâ reginæ tendit in ædes,
Nugator ſenis oblitus deliria vani:
Hoc non exemplar, non eſt, mihi credite imago.
Eſt Pater, eſt Gnatus rabido furiatus amore.
Ille mihi ante omnes placet author qui Decus arctâ
Lege ſequi ſolitus, rigidi ſervator honeſti,
Spectantum ſolâ ratione moratur ocellos,
Hancque viam inſiſtens certus ſuffragia captat.
Stultiloquus ſit ſcurra procul, qui turpiter atro
Emicat ambiguo infamis fœdeque petulcus,
Extructo aſſeribus tabulato, ſi lubet, actor
Arduus ille novo vernas ſub Ponte moratus,
Æthere ſub nudo ſua ludicra putidus edat

CANTUS IV.

IN Florentinâ, famæ ſi credimus, Urbe,
Vixit agens Medicum male dextro Pæone quidam.
Lingua procax petulanſque viro, atque arceſſere fatum
Una artis ratio; populi ſe geſſit ubique
Perniciem, creber prædas mactator averno
Accumulans. Patrem hîc lamentans triſte repoſcit
Filius; extinctum Frater gemit inde venenis
Germanum. Paſſim denſantur funera morti.
Sanguinis hic moritur vacuus Sennâ ille redundans.
Illi Rheumation ſubitò Pleureſis acuta
Evadit, capitis vel lenta gravedo Phreneſim
Induit. At totâ diris devotus in Urbe,
Terga fugâ vertit tandem. Feliciter unus
Reſtabat miſerâ de cæde ſuperſtes amicus,
Hunc adit opportuna fugæ ſolatia quærens,
Dives opum (ſacra quæ latis patrimonia fundis
Suppeditant) Abbas, caſum miſeratus amici
Hoſpitio indulget. Domus illi ſplendida luxu
Pontificum, ſurgunt & formâ tecta ſuperbâ.
Ædificare Viro furor eſt. Medicaſter ad artem hanc

Naturâ factus ſibi protinus eſſe videtur,
Et ceu Manſardum induerit, novus author anhelat
Totus Manſardum, & ſtudium crepat illius unum.
Porticus hæc aliâ oſtentet ſe fronte jubetur,
Veſtibulum transfert aliò quia lucis egenum.
Dexterior mutat gradibus ſedemque modumque.
Abbas cuncta probat prudens quæ ſanxit amicus,
Confeſtimque operas accerſit; protinus illis
Et nova forma placet; quod peccavere retractant.
Tandem ut prodigium brevius complectar, amuſſi
Et normâ inſtructus Pæon ſtudia ecce priora
Abjicit Hippocratis ſuſpecta, novumque repente
Verſus in artificem, Medicum exuit, utilis & jam
Incipit eſſe, ſuâ fuerat qui lethifer arte.

Hoc ſapere exemplo quid nos vetat? eia pudoris
Nulla mali ſpecies quemquam deterreat, illam
Quam monſtrat natura viam conſtanter inire.
Eſto ſciens artis Latomus; laus iſta beabit
Te potius, quàm ſi ſcriptor vulgaris alumnuſve
Aonidum indoctus, majora capeſſere tentas
Viribus. Ars alia omnis habet diſcrimina, honeſtis
Quæ gradibus niteant. Cum laude tenere ſecundas
Hîc potes; at numquam mediocribus eſſe Poëtis
Fas fuit. A ſummo nullus niſi caſus ad imum.
Frigidulus Vates eſt deteſtabilis idem,
Cenſenturque pares Pinchenius atque Boërus.
Nec Menarderius friget minus, aut Rampallus,
Corbino, Morleriada, Magnone, Suha ito.

Nempe poteſt riſum ſtultus quandoque movere;
At nihil ignavus ſcriptor niſi tædia gignit.
Quin, mihi Lunaris magis eſt veſania cordi
Bergerati, tua quam glaciali frigore torpens
Muſa, Morine, mihi ſenſus quæ ſtringit inertes.

Eſt hîc quod noſtrâ deceat vos voce monere.
Imprimis vobis vitanda eſt improba Siren
Natio adulantum, ſua ſcripta legentibus illex
Ridiculi erroris, ſemper clamare parata
Pulchrè, Perbellè, Magnatum conſona voci
Sueta Domûs Muſis adyta interiora vovere.
Sæpe ſono ſcriptum felix mulcere canoras
Auriculas, formis expreſſum, ſyderis auram
Non tulit infauſti, doctis obtutibus impar.
Innumeros eadem fati ſors merſit acerba,
Et Gombaldus adhuc forulos ſervare tabernæ
Cogitur, elogiis hinc uſque ad ſidera notus.
Cunctos ne dubita aſſiduus conſultor adire.
Conſilio fatuus potis eſt quandoque juvare.
Carminis at quidquid rapidus dictarit Apollo,
Si ſapis, hoc paſſim aut temere effutire caveto.
Nec gere Pererio ſimilem te vana furenti.
Hic Muſæ tumidus nugis, quicumque ſalutem
Obvius auſpiciis blande felicibus optat,
Carminis invadit furioſus lemmate; vicis
Et plateis incedentes recitator acerbus
Aggreditur. Sacrum nihil olli, nulla nec ædes
Quantumvis auguſta poteſt fatuo addere frænos;

Duro importunus verſu ſacra cantica turbat.
Cenſori imprimis (iterumque iterumque monebo)
Sedulus auſculta, noli obtrectare. Sed aurem
Nemo te prudens confeſtim adhibere jubebit,
Ut monitor docilem Muſam male carpit acutus.
Non raro Indoctus tricis ſubtilibus hirtum
Quem facit ambitio, ſimul ut mala tædia vexant,
Integrum opus Vatis temerè inſectatur acerbus.
Quod vultu micat uberius, quod grandius extat,
Nil ſua nobilitas illud cultuſque tuetur.
Judicii errorem, vanique ſophiſmatis artem
Demonſtrare nihil prodeſt; quod ſuggerit ægræ
Cunque furor mentis, petulanſque audacia, denſis
Et tenebris ratio delirans obſita, fortis
Aſſerit, herculeis & pluſquam viribus urget.
Blanditur ſibi veſani conſtanter aberrans
Impetus ille animi, magnum per inane vagatur
Turbidus extinctâ Veri face captus ocellis
Quantumvis erret, ſibi lynceus eſſe videtur.
Peſtiferi ſi conſiliis ductoris adhæres,
In Scyllam incurres cupiens vitare Charybdim.
Quære ſalutari & ſolidâ gravitate ſeverum,
Quem doctrina, fides, ratio commendat, & acris
Ingenii vigor excellens. Catus explorare,
Et primo intuitu felix deprehendere ſi quid
Indulgens tibi vis puerili abſcondere fraude.
Ille laboranti dubiâ anxietate revellet
Urentes ſpinas; planans cuncta aſpera, mentem

Expediet curis, & firmâ pace beabit.
Namque docebit, uti felici percitus œſtro,
Impatiens artis conſtringi limite Vates,
Arte ducè aſſurgit, tritoſque inſiſtere calles
Pertæſus refugit Vulgi miſcerier auris.
Verùm age dic quâ ſe Phœnix regione beatus.
Ille dat ad nutum. Sed enim qui condere rhythmos
Eſt catus, infelix vitio plerumque laborat
Judicii, planè cernendis rebus ineptus.
Novimus inſignem venâ famâque Poëtam,
Cui numquam eſt viſus magno diſtare Maroni
Lucanus. Vatis magni lachrymabilis error!
Auſcultate mihi, ſcriptores, cèrta docenti.
Vultis agi ſcenis, vultis repetita repoſci
Veſtra parit quæ Terpſicore! ſuſtentet opimæ
Hæc fundus locuples doctrinæ, ſuadaque dives
Nutriat. Hæc ſemper ſit dos addicta labori,
Quod fuerit frugi non diſſociare Faceto.
Qui ſapit, omne fugit Lector quod frugis inane eſt:
Sic ſibi delicias ſolers apponere lucro.
Se veſtri mores niveo candore decoros
Prodere ſemper ament. Virtutis transfuga pulchræ,
Hinc fuge cui vanis nitet oblita pagina fucis;
Tu vitio illecebras, rigidi deſertor Honeſti,
Mendaci fallax in imagine perfidus afflas;
Et peſtem ingenuis, (horrendùm) moribus infers.
Non tamen obtuſum mihi ſic frigeſcere pectus
Credite, ſcriptores, ut ſcenis durus amorem

Omnibus, & caſtis ſemper velim abeſſe libellis.
Eſte procul ſegnes animi, qui blanda Theatris
Hæc ſtudia eripitis, tenerique cupidinis ignes.
Rodericus vobis & pulchra Chimena veneno
Peſtifero imbuti ſpargunt contagia latè.
Hæc expreſſa nitens caſto laſcivia more,
Affectûs nihil impuri, nil parturit atrum.
Fata gemens fruſtrà formam pulcherrima Dido
Exertat, culpam damno, lachrymiſque madentem
Et lacrymans ſequor, inſanum miſeratus amorem.
Virtutis cuſtos vates atque integer, & ſi
Titillet ſenſus, face nil mihi corda pudendâ
Incendit. Vobis ergo ſit pectus honeſto
Incoctum penitùs. Virtutis cardine fixos
Immoto nulla afflabit vos aura pericli.
Nobilitat mentem fruſtrà vigor entheus altam;
Quod pectus peccat ſapiunt hoc carmina ſemper,
Sit vobis odio infamis ſuper omnia livor.
Degeneres animos tantùm afficit illa phreneſis.
Illâ peſte caret Scriptor qui grandia ſpirat.
Ingeniis tantum eſt mediocribus inſita tabes.
Magnis perpetuò virtutibus incubat atrox,
Et vexare furens. Regum implet corda tumultu,
Limina Magnatum vigil obſidet, ardua celſam
Cervicem extollit. Meritis ſi quem videt illic
Conſpicuum, vario inſinuans molimine tentat
Dejicere, hunc ut diviciis & honoribus æquet.
Nequitiæ infandas fugite ô! ſectarier artes,

Sit pudor hoc ad opes graſſari & præmia fraude.
Unum nec porro ſtudium ſit condere verſus,
Relligioſa fides Muſarum ſignet alumnum.
Officii plenus ſibi devincere ſodales
Enixe ſtudeat, non ſit laus una Poëtæ,
Exhibeat pulchro quod Muſa placere potentem
Carmine. Par nempe eſt ut moribus inſuper æquis,
Ingenii, ad cunctos ſit pondere flexilis uſus,
Cereus in varias & prudens ire figuras,
Gloria propoſitis ſit & omnibus unica merces
Cœpta regens. Turpi ſcelus eſt ſervire lucello.
Non quod ego invideam eximio compendia Vati,
Legitimo quæcumque poteſt ſibi quærela jure
Aſt illos famâ celebratos funditus odi,
Queis decore abjecto nummus ſpes una laboris,
Addicit Muſam venalem Bibliopolæ,
Divinamque Artem lucri corrumpit amore.
Ante feros homines ratio quam voce domare
Eloquii blandâ cœpiſſet, compede legum
Et cultu imbutos, tunc inter luſtra ferarum
Infelix genus, & ſylvis errabat opacis.
Glande famem duram ſatiare, errantibus unus
Quippe labor; præter vires jus denique nullum
Cædibus exitium quiſque in commune ruebant.
Id feritas impunè tulit. Facundia Suadæ
Flexanimis morum hæc portenta coercuit arte
Victrix irrepens animis, compeſcuit & vim
Immanem, fædo victu deterruit, inter

Oppida

Oppida & eximiis fundatas legibus urbes,
Detractos ſylvis prudenter more coegit
Compoſitos, legumque metu, feritate rebelles
Compreſſit, nulla innocuos injuria cives
Opprimit, integritas ſævo reſpirat ab hoſte.
Scilicet hunc morem induxit ſapientia Vatum.
Si qua fides famæ totum quæ ſparſa per Orbem,
Orpheus Threïcios montes dum dulcibus implet
Argutus numeris, miteſcere tigribus ira,
Auritæque ſequi quercus, & montibus orni
Deductæ dio illectæ modulamine vatis,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis;
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quo vellet. Lapides nempe ingenioſi
Sponte ſuâ ad normam properabant ordine pulchro;
Et muris & ſe componere turribus altis.
Protulit harmoniæ labor hæc miracula dexter
Naſcentis. Deinceps ſua non niſi carmine Divi
Dant placita. Hinc Delphis ſacrum exhalare furorem
Carminibus cœpit fundens oracula Apollo,
Et domitans thyrſo violentus pectora Myſtæ;
Qui tripode excelſus, diro furit ebrius hauſtu.
Mox priſcos ſcenæ prodens heroas Homerus,
Cæpta mares animos ad grandia carmine finxit.
Aſcræus dein ipſe ſenex, ſua frugifer arvis
Optima dat tardis præcepta, avidoque colono.
Ante hac indociles glebas parere magiſter
Edocet. Hinc ſcriptis ſe mille illuſtribus alte

Extulit, & pulchro expediens ſua dogmata verſu
Sophroſyne, paſſim ut mulcet ſermonibus aures,
Corda domat victrix, & culta triumphat ubique.
Tot meritis orbem ut ſibi devinxere Camœnæ,
Græcia divinos Muſis decrevit honores,
Thure colens Divas. Divinæ protinus Arti
Sunt erecta palam latis altaria terris.
Turpibus infecit poſthæc inſcitia curis
Terrigenas miſeros. Pindus ſua degener ipſe
Oblitus decora, infamis compendia lucri
Sectatur cupidus, mendacia mentibus afflat
Dirus amor nummi. Serpit fatale venenum,
Pullulat & ſcriptis temerarius omnibus error.
Vendidit hinc vocem Orator, pretioque redempta
Suada, ſibi induxit ſervilia vincula collo.
Peſtiferæ fugite hinc labis contagia, nec vos
Dedecus apprendat miſerabile; ſi ſitis auri,
Vos coquit ardentes urens furioſa medullas,
Opportuna nihil ſunt vobis hæc loca fluctu
Quæ rigat irrorans Permeſſidos unda beata.
Exulat his dudum Plutus, mihi credite, ripis.
Arte potens ſcriptor, Dux & quem gloria clarat
Bellica, ſorte pari exſpectant ſua præmia, quando
Nil præter lauros & nomen ſpondet Apollo.
Siccine Muſa, gravis quam dudum affligit egeſtas
Quæ fatis oppreſſa gemit, cogetur inani
Paſcere ſe fumo. Quem vexat inedia dudum,
Cui jejuna famem objectant præcordia ſerò

Ille parum eſt habilis molles captare ſuſurros
Quos Heliconiadum pura creat amne ſororum
Unda movens ſomnos. Non fervet Apolline Flaccus,
Mænadas aut cernit, niſi vena tumeſcat Iaccho
Nec Colleteto ſimilem cura anxia pungit
Unde Poematii pretio ſibi prandia quærat.
Vera mihi objectas. Aſt hæc crudelis egeſtas,
Hîc raro doctos Parnaſſi affligit Alumnos.
Quis metus? Hæc ſimiles caſus non parturit ætas
Sydus ubi fauſto Muſas beat uſque benignum
Intuitu, & Magni ſapientia provida Regis
Non patitur quemquam (arte ſuâ qui præſtet) egere.
Heroïs ſublime decus celebrate perenni
Carmine Pieredes. Age nemo Helicona colentûm
Tollere non certet Lodoïcum ad ſydera, Magnus
Quando poteſt Lodoïx unus ſine numine veſtro
Eſſe auſpex cantûs, afflatu & verus Apollo?
Exſtimulet priſcos illi Cornelius ignes,
Et ſit adhuc nobis idem Cornelius ille,
Quo ſunt Vate dati ſcenis & Horatius, & tu
Cidde placens ſemper Francis repetite theatris,
Et tibi, Racini, auguſtâ qui nomina pompâ
Heroum illuſtras; ſit carminis argumentum
Æterno Lodoïx modulamine, ſit typus ille
Unus & exemplar tua quo miracula promas
Informante, dehinc avidis ſpectanda theatris.
Heroïs nomen Charitum una cura furorque,
Sit Benſeradio ſtudiumque laborque Camenæ.

Hoc adytis Nymphæ ſuſpirent, hac face ſemper
Incenſæ caleant. Sylvas hoc nomine blandi
Ecloga Segraſii certâ trahat arte ſequaces.
Uni Epigramma ſuas & promat acumine vires.
Sed quis, amabo, novæ felix Æneidos author,
Alcidem trepidi deducet ad oſtia Rheni?
Quæ lyra adhuc habilis Sylvas rupeſque movere
Mente datâ, plauſu ad numeros celebrare docebit
Auguſto partos ex omni gente triumphos!
Quis Batavum trepidâ amentem formidine dicet
Diluvium ſibi conſilio & ratione parantem
Ut ſe naufragio expediat, triſtemque procellæ
Avertat caſum? Dic ſpiritus & tuba cuinam
Par canere heroum tot fortia facta, ſepultoſque
Aggeribus murorum, aut Moſæ gurgite merſos
Innumerâ cum pube Duces, dum mœnia circùm
Trajecti, Martem medio vel ſole laceſſunt.
Dum loquor, indomiti nova gloria Martis ad Alpes
Nos vocat, ecce jugo jam paret Dola recepto,
Ipſaque fulmineâ jam non ſemel icta procellâ
Rupe ſub aeriâ viden'ut Veſuntio fumat?
Quò validi fugere Duces, fatale minati
Exilium, aut ſaltem torrenti obſiſtere mole
Objectâ indomito. Quid fœdera? Quid valuere
Conjuratæ acies? Fugiendo ſcilicet hoſtem
Certant victorem rurſus cohibere ſuperbi
Dedecore, eſſe putant magnum fugiſſe triumphum!
Proh! quot vallatas foſſis immanibus urbes,

Quot noſter Mavors imo eruit oppida fundo !
Proh ! quot currenti peperit victoria lauros !
Quidquid vel ſtudio, vel Palladis arte valetis,
Promite, Scriptores, non eſt vulgare quod offert
Muſa Poëtarum pulchro ingenioſa labori.
Hic ego adhuc artem Satiræ cui contigit unam
Exercere, tubis impar fidibuſque canoris,
Jure mihi quando videor, vos voce ſequendo;
Et nutu, accendam ſummæ ad faſtigia laudis,
Præceptis acuam quot Horatius ipſe magiſter
Me fidum Pindi ſub vertice finxit alumnum.
Addam animos ſtimulis, longè oſtentare coronam
Unus erit labor, & Pugiles ſudore madentes
Excipiam lauro Victorum tempora cingens.
Sed dum certantes ſic cuncta per ardua fidus
Proſequor, hoc, oro Satiræ indulgete, mihique
Parcite, quod Veri exactor plerumque ſeverus,
Durum opus exercens, ſed planè frugis abundans,
Obſervem indicio quid diſtent æra lupinis,
Errores & menda magis reprehendere pronus,
Munia Apollineæ quàm felix artis obire.

MONITUM.

Non ingratum opus me Viris litteratis redditurum duxi, ſi adderem ad calcem quæ ab illuſtrioribus Pariſienſis Academiæ Viris reperiri potuerunt Poematum tanti Autoris, quæ è Gallicis Verſibus in Latinos numeros converſa fuerunt.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

PLUTEUS.

Digitized by Google

PLUTEI

LIBER PRIMUS.

PRæsulis ingentes iras, dextramque potentem,
Bellaque dira cano, ſacrâ dum victor in Æde
Reſtituit tandem Pluteum tela omnia contra.
Hoſtis nequicquam titulos animoſus inanes
Opponit Cantor, ſociiſque juvantibus, illum
Vi multâ de ſede iterùm deturbat; at acer
Erigit Antiſtes, propriumque reportat in axem,
Cantoremque inviſâ iterùm circumtegit umbrâ.
Muſa mihi memora præſens, quis vincula pacis
Concordeſque animos furor, & blandæ otia vitæ
Ruperit, & ſanctos in mutua jurgia Fratres
Impulerit? tantæ-ne Piis in mentibus iræ!
Tuque ô, naſcentes cujus ſapientia rixas,
Fomenta irarum, *Cleri* detruſit ab oris,
Adſis ô Lamonæ favens, riſuque remoto,
Seria nam canimus, noſtris bonus annue cœptis.
Pax dudùm antiquam fraterna colentibus Ædem
Delicias dederat molles, artemque fruendi.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Turgentes Pia Gens buccas rubicunda, diùque
In cute curandâ plus æquo operata, nitebat.
Intereà molles muſtelâ mollior artus
Culcita dùm involvit, pactâ mercede, Tonantis
Credebat laudes alienis faucibus, atque
Relligioſa cohors epulis inhiabat opimis;
Cùm Dea fœta malis Scoti de ſedibus exit,
Inflexura truces Minimorum ad limina greſſus.
Hoc habitu fremeret quo Pax exterrita, Monſtrum
Annoſam ad quercum propter ſua Regna reſedit,
Inque ſuum latè imperium fera lumina torquens,
Dùm ſtupet inſanos ſtrepitus, ſibi plaudit Erinnis.
Ante oculos, ô fide Deæ Normanne Satelles,
Affluis, & denſus Pariſinam irrumpis in urbem.
Et plebs & proceres cymbâque colonus eâdem
Tellurem ſubit, & Themidem circùm agmina paſſim
Litigioſa ruunt, agitantque undantia ſigna.

At medios inter (mirum) Delubra tumultus
Stant immota, Deæque minas clamoſaque ſævi
Bella fori longè placidis à mœnibus arcent.
Pacis ad aſpectum inviſæ Dea læſa, furorem
Corde ciet: ſtrident irati crinibus angues
Horrendum: ora tument atro perfuſa veneno,
Et furit ex oculis ardentibus acrior ignis.
Ergone (tartaream intendens Diſcordia vocem,
Quo ſonitu vitreæ ſubitò intremuêre feneſtræ)
Ipſa pios potui cœtus in acerba vocare

Prælia, * Franciſcoque ſatos, claramque Parentis
* Eliæ ſobolem ſævo collidere bello ?
Armavique ſuis pro mœnibus Auguſtinos ?
En Noſtris nimirùm Ædes hæc una rebelle
Imperiis caput objiciet, pacemque fovebit ?
Et Diva incedo ! Noſtrum quis Numen adoret
Præterea, aut plenâ ſupplex veneretur acerrâ ?
 Sic effata, caput cornuto immane galero
Diva premens, tardi ſpeciem Cantoris & ora
Induit, & fronti papularum appingit honorem.
Nec mora: vicinas Antiſtitis advolat ædes.
Alto in ſeceſſu tecti interioris, opacum
Velleribus plumâque undante cubile ſuperbit.
Quattuor obductu duplici pretioſa coronant
Aulæa, & ſolis tela importuna retrudunt.
Hîc jucundæ inter tranquilla ſilentia vitæ
Mollibus in ſtratis felix Ignavia torpet.
Hîc matutino recreatus jure ſacerdos
Delibat ſomnum, indè dapes pranſurus opimas.
Ore micat nitido viridis decus omne juventæ;
Et vaſtum in pectus triplici fluit ordine mentum;
Contractumque brevi corpus ſub mole, gementes
Membrorum immani pulvinos pondere curvat.
Ingreditur: ſtupet apponi miro ordine menſis
Fercula: P * * * indè gulam Diſcordia novit.
Præſulis ad lectum extemplò veſtigia flectit,

* *Les Carmes ſe diſent Enfans du Prophete Elie*, * *comme les Cordeliers de ſaint François.*

Et dormitantem ſævo ſic increpat ore.
Dormis ah dormis, Præſul! ſedem occupat hoſtis
Ecce tuam intereà, ſacris operatur ad aras
Impunè, & Templum, *Cleri* ſtipante catervâ,
Elato circumit greſſu, genibuſque minores
Audax hùc illùc populos *Cruce* ſignat, & altum
Stertis adhuc! Nimirùm alienâ pelle decorus,
Ipſe etiàm Mitræ ſanctos affectet honores,
Expectas demens? Torpentia membra tenaci
Excutias lecto: Fugias blanda otia, Præſul
Aut paſtoris onus. Sic fatur, & ore profano
Tartareum litis Dea tetra afflavit amorem.
Evolat ex oculis ſomnus. Furor iraque menti
Succedunt. Tamen Antiſtes *Cruce* ſignat Erinnim.
Qualis, quem ſtimulo latus inter & ilia fixit
Veſpa furens, vitamque alieno in vulnere liquit,
Taurus ubi læſo ſenſit ſub pectore vulnus,
Vicinos longis implet mugitibus agros.
Surgit, & iratus ſervos ſtomachatur in omnes.
Pontifici redit accenſa in præcordia virtus.
Audet & impranſus ſacras inviſere ſedes.
Argenti fidus cuſtos Gilotinus & auri
Nititur incaſsùm contrà, cauſaſque morandi
Nequicquàm innectit: mediæ adventare diei
Tempora, jam frigere dapes & fercula menſæ.
Quis furor, Antiſtes, quæ te dementia verſat?
En epulæ invitant, mens eſt ſuccedere Templo?
Tantum ſupremo ne dedecus infer honori.

Te malè degenerem labor arguit. Undè repentè
Iſta tibi tua relligio? Nùm juſſa moleſtum
Indixêre gulæ bellum jejunia? Ineptè
Faſtidis epulas, lautæque obſonia menſæ.
Tecum habita: memori, Præſul, ſtet mente repoſtum:
Nunquam nempè ſapit pulmenta recocta palatum.
Hæc ait, & prudens extemplò prima miniſtrat
Fercula. Pontificis pia tùm reverentia pectus
Occupat, obtutuque hæret: tandemque paratis
Indulget dapibus; ſed fruſta ferocior ori
Agglomerat pleno. Gemit indignatus, & omnes
Protinùs aſpergit luctu Gilotinus amicos.
Exanimis volat ad penetralia turba clientum.
Sic acer Pygmæus, ubi felicibus auſis
Strimonis aut Ebri littus perrupit, in hoſtem,
Denſa Gruum legio pernicibus irruit alis.
Improviſi adſunt temerè, ſubitoque furentem
Conſpectu recreant. Blandus jam aſſurgere cunctis
Hoſpitibus gaudet. Non vultum decolor, iras
Nec rabiem crepat Antiſtes, nec acerba minatur.
Hùc, inquit, pernam propera, Gilotine, remotum.
Spumantem ante alios Baccho cratera coronat,
Purpureoſque meri latices prior impiger haurit.
Poſt alii proceres, teſtamque repentè capacem
Exſiccant. Ubi nectareo benè pota liquore
Turba omnis, dapibuſque quies, menſæque remotæ;
Ille ſuos mœſtâ denarrat voce dolores.
Illuſtres operum ſocii, columenque, decuſque

Exhaurique nefas, *Clerus* velit ipſe; ſed indè
Quem TeTe referes, quàm forti pectore, Præſul.
Nomen, honoſque Tuus ſpernit ſpatia arcta Sacelli.
Iratum precibus Numen * Pavillo fatiget.
Hìc Nos bella juvant. Nos jurgia noxia poſcunt.
Hoſte fremente, ſacris hùc illùc aëra latè,
Sæviet ut bellum, *Crucibus* ſulcare licebit;
Cantoremque Antiſtes ovans fruſtràque ſuperbum
In vanos adiges, dextrâ inſectante, furores.
Talia dicta movent animos, Præſulque Sidrachî
Conſilium probat, & lætis clamoribus urget.
Tùm, quos Fata velint tanto inſudare labori,
Tres jubet admitti Præſul; ſed nobilis omnes
Ardor ſollicitat, laudiſque innata cupido.
Sors lex, inquit, erit. Quos deſtinat illa, legunto.
Nec mora: cunctorum brevibus deſcripta tabellis
Nomina, fatali ſubitò denſantur in urna.
Quò procul expellat fraudeſque doloſque, Quielmi
Accerſit dextram. Pueri frons tonſa recentèr
Explicat ingenuo vultus candore nitentes,
Illius & blando benè peccant ora pudore.
Intereà tollens oculos ad ſydera Præſul
Ter nudâ ſignata manu, ter nomina miſcet,
Atque urnam exagitat. Digitos puer admovet. Exit
Brontinus prior ante alios: ſpes indè ſecundas
Præcipit Antiſtes, fauſtoque per atria nomen,
O nomen, Brontine, Tuum clamore ſalutant.

* *Monſieur Pavillon, Evêque d'Aleth.*

Intenti ora tenent, ſubitòque educitur urnâ
Annæ Daphnis Amor, Daphnis ſuper æthera notus.
Deperit Anna virum, Daphniſque uxorius Annam.
Dudùm, ſi qua fides famæ, ſi vera loquenti,
Uſuram furtim præcepit uterque jugalem;
Sed ter divitiis avidum fœcunda bearat
Agricolam tellus, cum purâ in veſte Sacerdos
Connubii ſancto prætexit nomine culpam.
Vicini petulantem animum, frontemque protervam
Daphnidis, ille etenim magnus timor omnibus, horrent.
Ultimus in galea torpet. Tùm ritè benignus
Nomina ſupremùm verſat, Præſulque remiſcet.
Ambit quiſque ſibi poſtremæ ſortis honorem.
Sed Tibi quis ſenſus, fortiſſime Signifer, ingens
Præſidium Domini columenque, ut ſurgis ad auras
Oenobares turpi vultum indurate colore.
Diceris icterieum poſuiſſe repentè venenum.
Diceris & juſtâ nequicquàm membra podagrâ
Contuſus, confeſtim animos ſumpſiſſe juventæ.
Et ſaltaſſe agilis celſi ad laquearia tecti.
Tùm Tibi, ſumme Parens, cui tanta negotia cordi
Tantis commiſiſſe viris, è pectore grates
Perſolvit memori, & temerè per limina, lætum
Neſcio quid tacitis obmuſſans dentibus, omnis
Erepit legio. Poſitâ ſedatior irâ,
Antiſtes placidæ dat inertia membra quieti,
Dùm veſpertinis ſtomachum benè leniat eſcis.

LIBER QUINTUS.

CErnit ut è lecto Socioſque Ducemque tenaci
Aurora excuſſos, ſacrum ſubiiſſe Sacellum,
Hæret, & attentis, quos nunquam viderat antè,
Percurrit vultus oculis ſtupefacta nitentes.
Continuò Molem avulſam, & ſine honore jacere
Sidrachii patulas perfert Brontinus ad aures.
Quas dudum ſub corde ſenex agitaverat artes,
Succeſſiſſe ſibi plaudit. Jàm jurgia mille,
Mille dolos, liteſque novas vafer aſtruit intùs
Mole ſuper ruptâ. Belli ſpes dulcis ineſcat.
Accenditque animos. Illum non debilis ætas;
Annorum nec pondus iners, nec lenta ſenectus
Tardant præcipitem. Sancti petit atria Myſtæ,
Noctis & horrendos inimicæ exaggerat auſus.
Percitus Antiſtes tali ſermone, cubili
Deſilit, amenti ſimilis, ſimiliſque furenti.
Lauta manu nequicquàm offert Gilotinus utrâque
Fercula; nequicquàm ſtomachum priùs ardet herilem
Jure fovere, ſuos, vel inani ventre, Penates
Deſerere eſt animus. Solito ſe veſtit amictu,

Impatienſque moræ deducit pectine crines.
At ter ebur, ter buxum abeunt in fragmina. Fuſos
Sic olim Alcides, cum neret ſtamina, rupit,
Incomptus tamen egreditur; cùm plurima Myſtam
Ambit turba virûm non fortia pectora fruſtra.
Unanimes idem ardor habet deffendere juſto
Pontificem bello, ſanctiſque abſiſtere penſis.
Sidrachius contrà. Nobis haud iſta probantur.
Vicinæ celeres properemus ad antra Sybillæ,
Hùc nos Fata vocant, Fatorum hìc volvitur ordo:
Et, quæcunque velit præſcribere juſſa, ſequamur.
Hæc ubi Sidrachius. Sævi ad penetralia Templi
Nec mora, præcipiti concurritur impete; at ecce;
Ut ſubiere forum, metuendi è faucibus Antri
Circùm eructari gemituſque iræque ululatuſque.

Eſt locus aula ingens, immanibus alta columnis,
Inclinata quibus teſtudo horrenda recumbit.
Hìc ſummo ante alias venerantur honore Columnam,
Quos malè diſcruciat rixandi inſana libido.
Hanc juxtà exundant, ubi ſol medium attigit axem
Litigioſa cohors, denſo agmina Normannorum.
Fumoſis recubans loculis hìc manè ſiniſtrum
Uſque ululat macie horribili confecta Sybilla,
Tricarum fraudiſque parens, & neſcia recti.
Hìc quoque Paupertas deformes pallida vultus,
Curarum agmen edax, probroque Ruina nefando
Horrida, quos fœtus artes peperêre malignæ,
Inſanis latè circùm loca queſtibus implent.

Dùm Legum impallet nodis, hominumque ruinæ
Invigilans inhiat, propriis abſumitur armis,
Subvertenſque domos Procerumque palatia, vanis
Ingentes auri chartis permutat acervos.
Artibus ipſa Themis ſæpè irretita doloſis,
Ancipiti ingemuit propè victam examine lancem.
Fœta dolis, fraudum omne genus, genus omne malorum
Induit. Obſcuris nunc Bubo. Invulvitur umbris:
Nunc Leo, terrificos oculis vomit acribus ignes;
Nunc Anguis viridi ſe lubricus occulit herbâ.
Hanc fruſtrà edomuit Regis ſapientia Peſtem,
Nequicquam cæcis tenebras à legibus olim
Diſpulit; incaſſùm ſecuit Puſſortius ungues,
Ungues luxuriant: ater fluit unguibus humor.
Clauſtraque & oppoſitas habilis perrumpere moles,
En ſibi mille vias, aditus ſibi mille recludit.
Quam ſic ante Deam nummis, flavoque metallo
Sidrachius captam, blando ſermone ſalutat.
Rixas Diva potens alere, inſidiaſque forenſes,
Per quam langueſcit Legum veneranda poteſtas,
Cui tellus Cadomenſis opes aſſervat, & acer
Horrea Cænomanus fœcundis meſſibus implet,
Si, duce Te, miſeros vel primis ſævus ab annis
Uſquè laceſſivi mortales, ſi tua noſtræ
Reſpersêre manus optato altaria felle,
Jam ſenis emeritos ne dedignere labores.
Antiſtes Te poſcit opem, ſuccurre vocanti.
Myſtæ grande decus, Pluteum ſuo in axe rotantem

Cantor confidens animis impunè refregit.
Artifici diras deprome è pectore fraudes.
Digeſtorum aperi cæcos, tua Regna, meatus:
Quamque tuis afflas, Regina, clientibus artem;
Quæ Themidem illaqueat propriis in legibus, ipſa
Edoceas. Sic ille. Modis pallentia miris
Decolor ora, ferox animi, furibunda, Deique
Quo premitur, nondum patiens, ſi corde potentem
Excuſſiſſe Deum valeat, bacchatur, & iſtis
Vocibus ex adyto Vates maleſana remugit:
Pone metum, dilecta Cohors. Labor irritus, & fraus
Cantoris cecidit. Pluteus jàm redditur axi.
Imminet & bellum, ſic Dî voluère; ſed iras
Indigna nuſquàm vincant fœda otia pacis.
Sic effata. Graves animi, queis pungitur, æſtus
Plenior inſpirat. Rabieſque Furorque nocendi,
Magnanimuſque Pudor ſubitò fera corda potenter
Exacuunt in bella. Domos hìnc quiſque revertit,
Quò longum vacuus meditetur arare libellum.
Jàm rapidis vaneſcit iter ſub paſſibus. Ipſa
Decreſcit moles oculis immota columnæ.
Indomitam intereà, placidis in ſedibus, alvum
Cleri pingue Pecus dapibus ſatiabat, & ingens
Artocreas menſis apponitur acre voracis
Irritamentum ſtomachi. Tùm pronus in eſcam
Quiſque ſinus, latebraſque dapis ſcrutatur opimæ.
Jàm ſale perfuſas urit ſitis arida fauces;
Cùm diris Fama inficiens rumoribus auras,

Cantori metuenda refert Oracla Sybillæ.
Deſerit ille epulas. Vino inflammatus & irâ
Ardet adire Deam; vocemque audire viciſſim.
Multa ſuper dapibus fruſtrà, Bacchoque gementem
Clamoſam fera gens Evratdum obtrudit ad Ædem.
Olli arctum per iter ſinuoſi tramitis, altos
Aſcenſu ſuperant greſſus, Podiumque vetuſtum,
Multa ubi venalis proſtat farrago librorum.
Tempore quo totâ ſtipatus gente Clientum,
Antiſtes nitidas, furiis agitatus iniquis,
Per lentos graduum flexus remeabat in ædes,
Arduus huc magno ſtrepitu, hìnc illìncque coërcens
Circumſtantûm undas Cantor veſtigia flectit.
Frontibus oppoſitis occurrunt. Æmulus hoſtem
Deſpicit, & torvis ſeſe metitur uterque
Luminibus. Quales largâ ſi fronte ſuperbam
Deperiêre bovem, quo jàm exarſere juvenci
Dulcibus illecebris amor irrequietus, & herbæ
Et nemorum immemores, in mutua vulnera miſcet.
Evrardum Oenobares cubito collidit; at ille
Impatiens iræ, Barbini in tecta repentè
Irruit, & validâ correptum immane volumen
Commentum Artamenis, dextrâ contorquet. Ab ictu
Oenobares dexter ſeſe expedit, & liber ora
Perfidus it præter, ſtridenſque per aëra, tandem
Sidrachii temerè pectus contundit, & ipſum
Mole ſuâ exanimem mediâ proſternit arenâ.
Occubuiſſe virum, fatoque exanguis eodem,

Urgeri ſe quiſque putat. Jàm plurimus ultrò
Impetit Evrardum miles. Mora nulla, furentûm
Contrà ſacra phalanx animis ardentibus exit.
Lætitiâ exultans, ferali voce per auras
Intonat accenſæ ſignum Diſcordia pugnæ.
Turmatìm eccè ruunt Barbini abſentis in ædes.
Denſus in Evrardum librorum decidit imber;
Ceu quæ grando ruens læta immiſerabilis arva
Dilapidat, veriſque novos populatur honores.
Qui ſe cunque viris offert liber, arma miniſtrat.
Hic Veneris nodos, Artem rapit alter Amandi;
Jonam ille (huic uni dederat membranula veſtem)
Prenſat, & æterno ſquallore ſepultus ab ortu,
Gallicus hunc armat Taſſus. Cui cura tabernæ
Credita, barbaricos Tyro lenire furores
Luctatur fruſtrà. Disjecta volumina paſſìm
Dedecorant Podium. Guarinum propè Muſa Terenti
Hìnc cadit; indè humilis tenues contortus in auras
Serræus Xenophonta urget. Quàm multa ferocem
Per pugnam obſcuras liquêre volumina ſedes!
In lucem eruitur Scriptorum ignobile vulgus,
Simandra, Almerides, Caloander nauſea plebis,
Tùnc primùm excuſſe è tenebris Caloander, ut effrons
Silv-hilaris tua libravit deliria dextrâ.
Vulnus quiſque ſuum læſos impingit in artus
Vibratus liber. Haud uno malè cæditur ictu
Pars bona. Giraltum Vaïerî pingue volumen
Sternit humi. Brevibos ſcapulam diverberat Ancum.

Non ita. Te noſtri moles immanis obumbret
Corporis, & certo Fabri defendat ab ictu.
Devolet in Fabrum liber hic, ſuprema ſupellex
Armorum; tibi reliquias committo furoris.
Hæc ait; Oenobares librum rapit, æſtuat irâ,
Et latet, & repens, media inter lumina torquet
Melleum opus, carmen Quinalti elumbe poëtæ.
Illius at vano frons ferrea tunditur ictu.
Nam quid in infractam cervicem imbelle volumen!
Hos videt ut Faber furibundâ bile tumeſcens,
Experiantur, ait, quibus eſt dolus unica virtus.
Num cæptis ingentibus apta, volumine molli
Hoſtem percutiat manus hæc? Nec plura locutus,
Quem duo vix moveant validis è ſede lacertis,
Hunc ab Avicennâ, cui proximus hæret, utrâque
Diſtrahit ecce manu, faciliſque extollit in auras
Faber, & exanimos diro quatit impete in hoſtes
Monſtrum ingens, Infortiatum. Liber ille periti
Figmentis erat Alciati, Accurſique, ſtylique
Colluvie Gothici fartus, crudâ ilice coſtas,
Et laceræ obductus nigranti pellis amictu,
Trunca ex qua triplici pendebat fibula clavo.
Ilicet Oenobares ictu Brontinus & umbra
Turpe ſolum tangunt, & multo vulnere fracti
Ambo præcipites greſſus volvuntur ad imos.
Attonitus ſtupet Antiſtes, ſubitòque ſuorum
Perculſus caſu, clamorem ad ſydera tollit,
Subſilienſque retrò, lites & bella, Deumque

Bellorum tacito ſub pectore deteſtatur.
Sed tandem antiquas revocans ad prælia vires,
Ultricem educit dextram ſub veſte latentem,
Protentiſque piè digitis, hinc inde catervas
Aëriis ſulcat crucibus; jam præcipit hoſtis
Scilicet inde fugam Antiſtes nil talè timentis,
Et populorum iras ſævo clamore jubentem:
Siſtite ſacrilegi duplicato poplite. Triſtem
Cantor odoratur præſagâ nare procellam.
Nequicquam extinctum trepidanti è pectore robur
Suſcitat, imbellis fugit. Hunc ſacra mœnia propter
Ponè ducem legio ſequitur non paſſibus æquis;
Victor at inſequitur Digitus, turmæque fugacis
Quo ſe cunque ferat, cervicibus imminet Index.
Nec probroſo etiam vallavit ab indice vafrum
Angulus Evrardum; in latebras obſervat euntem
Antiſtes dextrâque catus modò, deinde ſiniſtrâ
Greſſus detorquens, tandem feliciter audax
Heu! malè deprenſum ſubitâ cruce ſignat in antro.
Ille improviſo perculſus fulmine ſeſe
Erigit, & fruſtra tumidum caput arduus effert;
Corruit ante pedes tremebundus genua, ſacrumque
Pontificem ignavâ formidine victus adorat.
Ingreditur ſanctam, proſtratis hoſtibus, Ædem
Præſul ovans, partaſque pio certamine lauros,
Præmia virtutis, multâ cum laude reportat
Illi indignantes cecidiſſe immmanibus auſis,
Mulctatique malo crucis omine tecta reviſunt.

BIZOT.

SATIRA III.

COENA.

A. NAm quid te curis jactatum triſtibus urit?
Unde hæc denſantur caperatâ nubila fronte?
Quàm tibi diſſimilis? palles, non ut magis ille,
Cui reditum exſecuit lex inſperata trimeſtrem.
Quò fugit facies quondam rubicundula, ſucco
Quæ tibi perdicum meliori facta nitebat.
Qualis eras, malis dum vivo picta colore
Gaudia ludebant, & vultu vina rubebant
Gemmea! Moroſus tecum quid concoquis iræ?
Ergone contriſtant edicta auſtera culinam?
Num pluvias culpant ſtagnanti in valle pepones?
Aut dirâ quereris percuſſam grandine vitem?
Dic, age, cauſam aperi: vel, non rediturus, abibo.
P. Tantiſper, precor ah! pulmo reſpiret anhelus.
Nempe hominis ſtolidi inviſos mox deſero poſtes,
Qui me, credo equidem, meditatus perfida dudum,
Toxica nolentem ſecum cœnare ſubegit.
Prævidi, nec me augurium crudele fefellit.

Annus ferme abiit, crebros dum providus ictus
Eludo: ſed herì, volucrem quaſi callidus auceps,
Occupat incautum, & blandâ me voce ſalutans,
Te convivam, inquit, medio cras ſole manebo.
Bis mihi ſeptenis langueſcit Bacchus in urnis
Quadrimus, qualem cauponis cella Bucingi
Invideat: poſito fatear me pignore victum,
Ni juvet is forti ſucco ſubtile palatum.
Fucatam ſalſo virtutem carmine ludet
Mollerius; quin ipſe etiam, ſic namque recepit,
Lambertus veniet: noſti tu qui vir, opinor.
Grata refert, Lambertus? Ita eſt, Lambertus; & uſque
Cur veniam accendis: Satis eſt, & craſtinus ibo.
Manè ergò (mentem uſque adeò ſpes mollis ineſcat)
Accurro, dum ſol medium tenet acrior orbem.
Vix primum limen ſubeunti devolat hoſpes
Obvius, & dextram blandè complexus, ovanti
Lætitiam, voti compos, fronte explicat: Ille
Tunc mihi; perjurus conviva fefellit utrumque:
Sed ſit, te præſente, levis jactura duorum.
Vir bonus es, noſtras intra expectatus in ædes.
Agnoſco errorem, membris fluit undique ſudor,
Serius heu! tremulo præeuntem poplite ſector,
Donec præruptum tandem conclave ſubimus,
Sol ubi nos furno indignans candente coquebat,
Occluſis fruſtrà, quâ torret parte, feneſtris,
Dulci cœna loco, poſitis hinc inde catillis,
Inſtruitur, binique aderant nec nomine noti,

Quales rus pingue emittit : niſi fallor, ad unguem
Fabellas decies revolutas callet uterque :
Nempe fatigatas ſonuit mihi Cyrus ad aures.
Frendebam mecum interea, cum protinus offa
Convivas avidos fumo ſudante vaporat.
Annoſus medio gallus macra membra catino
Oſtentat : mendax ſtridere per ora ſuſurrus
Continuò, gallus capi ſortitur honores :
Duplex conſequitur parte ex utrâque catillus.
Lingua apio viret hîc ; aliâ de parte retoſtum
Artocreas pinguis butyri rivus inundat.
Aſſidunt : ſed vix convivas menſa frequentes
Quadrata admittit : Vicinum pronus adurget
Quiſque ſuum, dextrâ ferit hic, ferit ille ſiniſtrâ,
Atque dapes raptæ obliquè fruſtrantur hiantem.
Quæ mihi ſit durâ deprenſo in ſede voluptas ?
Quem non vina juvent, pinguis cui fercula menſæ
Prorſùs nil ſapiant, ſedeam nî laxius inter
Cœnandum, quàm cum vacuam Caſſanius ædem,
Aut Cotinus ſurdis male rauci vocibus implent.

Tum cœnæ pater : Hæc blanditur grata palato
Offa ? inquit, lepidâ compellans voce ſedentes.
Sentitis citreum quod prodiga dextera preſſit,
Luteaque ovorum omphacio diluta recenti ?
Nil certè par Mignotio, bellè omnia condit
Mignotius. Mihi tunc horrere in vertice crines.
Mignotius, ſatis eſt : Hominem quis neſciat unum
Cauponum carnes doctum vitiare veneno ?

Cuncta tamen nutu laudabam oblata loquace,
Voto in vina ruens. Male ſunt mihi ſingula, nempe
Aiebam mecum, vinum ni cætera penſet.
Ergo vina dari jubeo: puer ore procaci,
Metitur vapida, Aurelii dant qualia colles,
Pocula, quæ vendit vafer, ut Belnæa, Crenetus.
Purpureùm, fatuè ſubdulcia vina, rubebant,
Immitem & durum linguæ factura ſaporem.
Prima mihi liquor infecit vix perfidus ora,
Cauponis quando fraudes patuêre maligni.
Affulget ſpes una tamen: Fortaſſe veneni,
(Sic rebar) vires hebetabit largior unda.
Talia quis ſperet? quanquam ſitis arida fauces
Exurat, glacies affertur nulla petenti.
Proh ſuperi! campos dum rubra canicula hiantes
Infeſtat, tantos nihil eſt quod temperet æſtus.
Hîc ego (tanta mihi tumuit ſub pectore bilis)
Sæpius indignans volui deſurgere menſâ
Talem execratus cœnam cœnæque magiſtrum;
Et quanquam durus potuiſſem & torvus haberi,
Surgebam, quando menſâ puer aſſa reponit.
Diſtendit medio magnus porrecta catino
Membra lepus, leporem pulli ſex corpore macro
Defendunt: tectis aſſueta animalia ſurgunt,
Hinc inde urbanum queis prima infantia cælum
Hauſerat, uſque adeò ſapiebant putida caulem.
Curva in lance dapes congeſtas ordo coronat
Longus alaudarum, extremoque in margine lancis

Exſuccum pectus tollunt, ceu valla columbi.
Stipabat lancem, quâ nil elutius, herba,
Cujus olivum acri naſum infeſtabat odore,
Et largo fluctu veteris vitiati innabat aceti.
Tunc homines ſtolidi, mutato protinus ore,
Regales jactare epulas, conſurgere magnos
In plauſûs. Meus intereà ſubridet ineptùm
Hoſpes, & inſulſis bibulas dans laudibus aures,
Parcite, ſpe veſtrâ ſi forte eſt vilior eſca.
Præcipuè ventoſus homo, memorabile lati
Gutturis exemplum, noſtra ad convivia præceps
Venit odoratus fumantis fercula menſæ.
Gaudebat ſapiens nobis jactare palatum,
Ridiculus carnes, avidè obſorbendo, probare.
Riſum quis teneat, dum turpia luridus ora,
Linteolum longo factum ſqualentius uſu,
Horrenteque comam neglecto in vertice geſtans,
Inſcia ſylvarum mediis animalia ſylvis
Nata canit, falſoſque amat oſtentare palumbes.
Quin etiam obſervans faciem officioſus herilem,
Hoſpitis ex oculis linguam componit, & oris
Omnem habitum, ſolers alienos ſumere vultûs.
Lætus ad hæc molles in me deponit ocellos
Convivator; &, ô quid habes? male ſingula tangis,
Neſcio quæ mentem cura importuna remordet;
Fruſtra tuam replent cultro inviolata patellam.
Arridet-ne piper, ſparſit pipere omnia coctor:
Mira ſapit pullus, perpaſtos cerne palumbes:

Macra ſub hoc morſûs irritatura jubetur
Perna dari (Moguntiacâ veniſſe canebant
Urbe) puer pernam media inter brachia jactat ;
Nec fert ambitioſa magis veſtigia Rector ,
Longa Magiſtrorum quem ſtipant agmina euntem.
Clavigeros referunt fœdis mantilibus altè
Præcincti duo , qui greſſu famulante præibant.
Hic fungis gravidum & vitulina lacte catillum ;
Alter piſa ferens undante natantia quadra ,
Dulcia tum paſcunt oculos ſpectacula & augent
Lætitiam. Cantus miſeros abrumpere turba
Continuò , ſtolidèque gravis ſermonibus auras
Ducere : Vinum acuit mutos in verba ; loquuntur ,
Et tumidâ quivis effutit frivola voce ;
Ad nutum dirimens operoſa negotia Regum,
Legibus imperium emendans & moribus urbem.
Inde gravi bello Lodoïx ubi fulminat arces
Tranſvolat , & ſternens victrici plurima dextrâ
Corpora , Germanas rumpit Batavaſque phalanges.
Tandem de bellis miſſo ſermone , ſuprema
Mentio ſuccedit de verſibus atque poëtis.
Atque turba novo præcordia turgida faſtu ,
Dat cuivis palmam atque adimit vel ut arbitra Pindi.
Aſt herus imprimis Ronſardi fautor ineptus
Theiophilique, amborum artem tollebat ad aſtra.
Ruſticus interea nutu villoſa timendo
Labra vibrat ſurſum , petaſique hirtum erigit orbem ,
Plumea quem circum criſta obrepebat opacans.
Præcludit linguam cunctis , & voce magiſtrâ ,

Diſpeream, exclamat; ni Serreus optimus autor.
Hic pulcros cudit verſus, ſuaviſſimus olli
Sermo fluit. Lepidis narrantur facta Puellæ
Carminibus; ſomno paulatim victa legenti
Haud ſcio cur nutet cervix ſanè omnibus, addit;
Païſius meritò videatur ſcurra facetus.
At mihi Vetturius quæ condidit omnia frigent,
Judicium certè multum juvat acre legentem.
Cornelius, fateor, lepidus quandoque: Sed auris
Limato imprimis capitur ſermone ſuperba.
Miror Alexandrum tantis quid laudibus ornent:
Omnia dura ſonat vanus, nil dulce: Quinaltus
Longè aliâ heroas fingit ratione loquentes;
Leniter oderunt, ſemper mollita loquuntur.
Hunc juvenis ſatira, ſic ſerpit fama, momordit.
Novi quæ narras, noſter tum reddidit hoſpes.
Scriptorem pingo, qui nuſquam offenderit, offert
Virgilium ratio, verſûs dat meta Qxinaltum.
Hoc ipſum eſt quod aïs. Proh pinguia ſcripta! Quinaltum
Vellicat imprudens nempe... an redit Aſtrata menti?
Jure hoc exactum dicatur carmen ad unguem.
Annulus imprimis concinnâ Regius arte
Ducitur integrum opus rectè actus quiſque vocetur:
Quæ nunc obtrudunt alii mihi ſingula ſordent.
Eſt ſanè magnâ & ſubtili mente Quinaltus,
Excepit fatuus, vatem quem lividus oris
Et prudens habitus, ſigno verace probavit;
At ſunt quos trutinâ poſſis ſuſpendere eâdem.
Nullum herclè oſtendes, ſublatâ voce reponit

Tunc agreſtis homo, vino jam plenus & irâ.
Fortè aliquem, vates ſimul addidit ora furore
Pallidus; at ſentis, bone vir, tu carminis artem?
Te meliùs, tonuit furibundo Nobilis ore.
Tu? Superi! cyathos acres ſiccare, tuorum
Hoc operum eſt, durâ fremuit tum voce Poëta.
Ergo tibi ſtolidus videor? mentiris, inepte,
Ruſticus adjecit noſter, nec plura; patellâ
Hoſtiles iras contortâ provocat: ictum
Declinat flexu molli; volat indè patella
In murum, & rediens ſinuoſa volumina ſignat.
Exilit è mensâ Vates, oculumque minacem
Volvit atrox: medii concurrîmus inter utrumque
Fruſtrâ. Depugnant, infeſti crinibus hærent.
Menſa lagenarum extendit dejecta ruinas;
Nequicquam rapiunt pueri promptâ omnia dextrâ,
Area mananti circùm natat ebria vino.

Tandem barbaricos rursùm lenire furores
Tentat turba omnis, clamat, vi ſeparat ambos:
Ut motus animorum, & prælia prima quiêrunt,
Convivæ averſas ardent componere mentes.
At dum Cœtus in hoc conjurat totus amicè,
Ad limen repto vicinum, talia jurans;
Clamosâ in turbâ ſi quando improvidus adſim,
Hanc ego ſtultitiæ tantæ non abnuo pœnam:
Sit Briacum, vinum omne mihi; ſine carne ferinâ
Urbs hiemet; piſum Auguſto vix menſe coquatur.

HENNEGRAVE, *è Collegio Mazarinæo.*

SATIRA IX.

AD

MUSAM SUAM.

TE nunc, Muſa procax, te nunc ipſam alloquor, audi.
Non hodiè merita effugies opprobria : dudum
Et nimium (ignoſco quoniam tibi pleniùs æquo
Commodus & patiens) in cunctos ludis amarùm.
Hactenùs indulſiſſe ſat eſt : effundere bilem
Nunc juvat, & tacito quidquid ſub pectore torpet.
Cùm novus in terras veluti Cato lapſus ab aſtris,
Et pœnas vitio & virtuti præmia ponis,
Cùm doctas rigido penſans examine chartas,
Barbatos audes regere imperioſa Magiſtros ;
Nam quis te Satyræ tutam non credat ab ictu,
Dicendi quidvis perſcribendique potentem ?
Aſt ego quid pravi lateat dignoſcere cautus,
Et tua dinumerans digitis peccata ſeveris,
Rem prorsùs lepidam ! exclamo ; tu carmine nigro
Sortem ardes ultrà pallentes radere mores,
Tam mordax & dira, furens quam fœmina, & acer

Galterus rabido quoties delitigat ore ?
Sed, percunctari ſi quid licet, ô bona, fare,
Quis furor invito te finxit Apolline vatem ?
Divinæ ergò aliqua agnoſcis veſtigia flammæ,
Præſenti magnas afflat quæ numine mentes ?
Veſana unde tibi, quæſo, fiducia ? Phœbus
Aſcenſum Pindi facilem tibi tradidit uni ?
Neſcis ? quiſquis ave- ſacrum prenſare cacumen,
Aut venit ad ſummum, aut vergit ridendus ad imum ;
Et nî Vetturio, Flacco niſi digna loquatur,
Udæ affixus humo vates inglorius hæret.
Negligis objurgantem audire ac recta monentem :
Et te ſcribendi furor inſanabilis urit ?
Quorsùm opus eſt curam in ſteriles impendere nugas ?
Triſtes deteſtata jocos, facta inclyta Regis
Verſibus æternare aude ; labor annua reddet
Præmia fecundus, quæſtùque allecta futuro
Emptori poteris pretioſo vendere fumum.
Abſit, ais, magna imbelles conemur : iniquum,
Quantumvis ſtimules, pondus ſumpſiſſe cavebo.
Audacis nec enim quivis canat æmulus Orphæi,
Compreſſam rabiem debellatoſque furores,
Bellonam ignivomo ſpargentem incendia vultu,
Aut dignè pingat fugientis vulnera Belgæ.
Talia (ſi deſit melior tuba grandis Homeri)
Sublimis plenâ cantabit voce Racanus.

Qui verſus condis, quales ego, condit ineptus
Quales & Cotinus, fecit quos ſola Poëtas

Invidia; æternum, Scriptor, cenſebo, quieſcas,
Venditet obſcurum quamvis tua carmina vulgus.
Delumbè & ſtultè officioſum ſæpè Poëma
Scriptorem heroémque notâ fœdavit eâdem;
Denique rem vires operoſam ferre recuſant.
  Hoc Muſa excuſat magnæ nil indiga laudis,
Quæ vanos cauſata metus, falsìque pudoris
Obtentu, celat triſte inſidioſa venenum.
Quin petis audaci novus Icarus aëra pennâ?
Nonne fuit ſatiùs nubes captare profeſſam
Grandia, quàm ſtricto ſemper mucrone frementem,
Fas contra, innocuos famoſo lædere verſu,
Et pavidam exagitare malis rumoribus urbem,
Barbinum, liber ut vati damnoſus inauret?
Forſitan inflatam faſtu ſpes credula lactat?
Flaccus ego alter, ais, famâ ferar uſque ſuperſtes
Alite; difficili intricata Poëmata nodo
Anxia Salmaſiis nectunt tormenta futuris.
Verùm, age, quot doctis aſcriptos vatibus, illo
Mox numero expunctos luſit ſpes frivola vates?
Quot vidêre teri dextrâ inſudante libellos,
Quos trutinâ pendi venales judice cernunt?
In pretio paulùm laudata volumina vivent,
Pulvere dum fœda & cunctis oblita, tabernam
Thus venientem adeant putribus ſocianda Poëtis,
Aut arroſa novi ſordeſcant Pontis in orâ
Viles relliquiæ, trunca ornamenta viarum.
Egregiam verò laudem! ſi verſibus olim

Deſidioſa cohors recitandis otia fallet ;
Aut ſcripta obſcuros tandem ſortita receſſus ,
Cantica ſtipabunt indoctis perdita vicis.
Eſto , ſors fortunet opus , ſors ſcripta ſecundet ;
Stent ævum in longum filo deducta maligno
Carmina , (quod votis dudûm erumpentibus optas)
Ridiculum ad ſeros Cotinum latura nepotes.
Quid te tarda juvant famæ præconia , ſi nunc
Incutiunt triſtes inviſa negotia chartæ ;
Unica ſi merces ſalibus debetur amaris ,
Offenſi tumidos vulgi exhorrere furores ?
Quid cunctos furis arripere , alternoſque notare ?
Non tibi ridet opus ? legere hoc abſiſte , ſinaſque
Delirum æternâ ſepeliri nocte volumen.
Vindicet à morſu ſaltem putredo Poëtam.
Pulvere ſordeſcit Jonas taciturnus inerti.
Quærit adhuc lucem David putrétque negatâ.
Annoſus ſqualet corruptâ margine Moſes.
Quid damni ferat hoc ? ſecurus morte fruatur
Scriptor ; & inſonti parce inſultare ſepulchro :
Quid meruit de te , ut cineres manéſque revellas ?
Quid tibi Bardinus , Prado nocuere ? Quinaltus
Quid nocuit ? quorum occurrentia nomina mordax
Uſurpas , & creba tuis in verſibus aptas ?
Longa movent ſcriptis rudibus tibi tædia ; Regi
Moverunt , toti moverunt nuper & Aulæ.
Num tamen edicto multatum vindice crimen ,
Aut vates vetitum poſthac componere verſus ?

Scribendi cuivis ſemper fuit æqua poteſtas ;
Perdere membranam ſit jus licéatque Poëtis.
Legibus intactis , illæſo fabula more
Bis quino potuit celebrare volumine Cyrum.
Non hodie vatum fecunda Lutetia primùm
Scriptores magno videt exundare tumultu ;
Hinc etiam paſſim coopertis fulta columnis
Porticus innumeros offert albata libellos.
Judicium intereà jactans ſubtile ſuperbas
Impones Pindo ſine jure & nomine leges.
Aſt , age , dum naſutè aliena Poëmata carpis ,
Quis , cenſes , de te ſermo eſt ? quâ te & tua vulgus
Expendit trutinâ ? dentes defigis ubique :
Sed qui clamores de te , quæ murmura noſtin ?
  Si ſapias , aiunt nigrum irritare caveto ;
Quemcumque arripuit , nullo diſcrimine lædit :
Audebit cuncta imprudens , famámque dicacis
Dum captet , nulli demens ignoſcet amico.
Ipſa Capellani ſuſpendit carmina naſo ,
Et ſtolido affectans componere ſingula nutu ,
Miratur quæcumque forum , faſtidit & odit
Omnia : Caſſanius ſolio tonat acer ab alto ?
Cervicem ſomno demittit ſponte gravatam.
Furtivas , qui ſic Pindo ſedet arbiter , ipſe
Exuvias Flacci indutus nitet : ante latino
Carmine reddiderat Juvenalis ; gutture ſurdo
Si quando Cotinus templis declamat anhelus ,
Laxus quiſque ſedet verſus reprehendit uterque
Craſſè

Craſſe compoſitos ; quippè hinc ſe purgat ineptus ,
Magnis nominibus quærens prætexere culpam.
Vix primis libavi amborum carmina labris
Livida ; ſed factum bellè ! gens improba vatum
Si liquidum præceps medio petat æquore Pindum.
His te oculis cuncti aſpiciunt ; trepedique loquuntur
Hæc de te , vindex vati dabit unda ſepulcrum.
Nequicquam in partes ſimulans malè falſus abire
Neſcio quis , ſtatuant de te clementiùs , orat.
Lectorem ſemper pavitantem , frigida cui mens
Criminibus ſudat tacitis & conſcia pallet ,
Incaſſùm ſupplex tentabis flectere. Finem ,
Dic age , quem facies ? tibi ſæva negotia ſemper
Accerſes demens ? ſemper nova jurgia quæres ?
Clamores vatum aſſiduos , convicia Pindus
Audiat ? ecquis erit tandem modus ? ecqua furori
Meta tuo? dic... fare ... moras quid nectis inanes ?
Dic ... ſed , tantus , ais , quorsùm furor iraq; ſegnem
Scilicet interdùm , quæſo , ridere Poëtam ,
Horrendum ſcelus eſt , nullâque piabile pœnâ ?
Quis ferat hoc ? ſcriptor ſi ſe veneretur ineptus ,
Sanaque quod ratio mendoſum oſtendit ubique ,
Ultrò laudet opus , vivace Poëmata credat
Digna cedro : clament omnes , proh Jupiter ! auctor
Inſulſe ! interpres genio prognate ſiniſtro !
Quin inopes rerum chartæ , quin turgida nugis
Carmina bullatis , æternâ nocte premuntur ?
Hoccine detrahere , an ſincera & candida fari eſt ?

Obliquos livor meditatur molliùs ictus;
Alidori ſi qua inciderit fòrs mentio, quare
Impenſo pius inſtituat de marmore templum?
Alidoro, vir vanus ait, dudùm utor amico,
Ex ſervo nunc ſcriba aliena negotia curat:
Vir bonus eſt, nec habet meliorem terra, verendâ
Egregius pietate, Deo ſua furta redonat.
Agnoſcis tacitam ambiguis ſub vocibus artem?
Non aliter jugulum violat pia dextera ferro.
Obſequium exoſa, & turpis mens neſcia fuci
Laudibus abſentes non rodit prava malignis.
Sed factum ignavè & durè reprehendere carmen,
Ludere ſcriptorem deliramenta loquentem,
Perſonam urbani lævè ridere ferentem,
Lectori licuit, ſempérque impunè licebit.
Nobilis indoctus dabit eripietque coronam
Cuilibet ad nutum; illo vincet judice vilis
Theiophilus Malherbam altum, Taſſique canoris
Area Virgilii jam cedent carmina nugis.
Aurea terquinis cuivis patet aſſibus, illâ
Securus pœnæ tollit mercede cachinnos,
Sibilat Attillam, versùſque explodit ad unum
Cornelî, Hunnorum niſi Rex avidam impleat aurem.
Servulus inſipiens, doctos Librarius omnis
Scriptorum Libros trutinatur lance Magiſtrâ.
Ut primùm in lucem jubet ire Poëmata vates,
Publicus emptori ſervit cuicumque, paratus
Triſtia lectoris faſtidia ferre ſuperbi:

Auctorem una ſuum defendere carmina poſſunt.
Lectorem fruſtrà, pleno qui pectore languet,
Immeritam implorans veniam, quaſi pronus adorat:
Abnuit indignans veniam concedere judex,
Jus habet in ſontem, & pœnam, ut lubet, irrogat æquas.
Hiſcere non auſim intereà, ſtultique Poëtæ
Ridiculum carmen mihi non ridere licebit?
Quid damni noſtra invexêre Poëmata tantùm,
Ut caput in noſtrum ſcriptorum detonet irâ?
Inclyta nobilitans non læſi nomina; ſacræ
Si vates chartæ tantos librique ſilerent,
Invida celarent jam dudum oblivia famam.
Me ſine quis Cotinum divina oracula quondam
Nôrit anhelaſſe? urgeret nox longa ſepultum.
Per memores ſatyras inſulſi extenditur ævum.
Ex umbris creſcit ſplendor pretiùmque tabellæ.
Culpavi, fateor, ſed quæ culpanda putabam.
Talia qui damnat carpentem, ea carpit & ipſe.
  Sed facit imprudens, aït hic, quin nomina celat,
Nempè Capellanum mordere? ah! vir bonus hercle,
Vel nemo; ſemper Balzaco inſignis in ore eſt.
Ne faceret verſus, monui; torquere cerebrum
Quid miſerè juvat? utatur ſermone pedeſtri.
Si ſcelus hæc dixiſſe; en adſum, plecte nocentem.
Ergòne cùm verſus culpat, nigro acumine puros
In mores turpe inſtillat cenſura venenum?
Deliri carpens malè nata Poëmata vatis,
Sincerum prudens memini dignoſcere pectus.

Dicatur probus & frugi, dicatur honeſtus;
Auferat urbani famam, ſit candidus; omne
Pronus in officium, nullique habeatur acerbus;
Nil moror, ornetur non unâ laude, ſilebo.
Hujus ad exemplar properare Poëmata dicant,
Ut bona ſint, debere, & venâ divite cuivis
Præniteat, ſceptrum ferat ambitioſus; amarâ
Siccum bile tumet jecur, ardeo ſcribere verſus.
Me muſſare nefas, & rem committere chartæ?
Hîc tamen infodiam, & muti Tonſoris ad inſtar,
Arte novâ elingues cannas reſonare docebo;
Auriculas aſini Midas habet. ô ſcelus! ingens
Flagitium! facili torporem carmina venæ
Injecêre, gravique hebetârunt frigore mentem?
Emptores trahat undantes, punctum omne libellus.
Lectoris ferat inviti, jubeatque ſecundâ
Venalem Bilænus hians proſtare columnâ;
Ad lunam intereà cenſor latrabit iniquus.
Perdere vult Cidum fruſtrà Richellius; æquat
Roderici, Chimenam emirata Lutetia, curas:
Gratum carpit opus concors Academia: talo
Fabula ſtat recto haud ſecùs. Efferat at ſua ſi fors
Scripta Cappellanus cenſor ſit tetricus olli,
Et pinguem exagitat lector quicumque Poëtam
Fautorum intereà punctis cenſetur Homerus
Fruſtrà; mendaces lectus liber arguit; ergò
Cùm totâ vates cantatur ſordidus urbe,
Ipſe ſuum incuſet, quem damnat Apollo, laborem:

Barbaricos verſus, Muſamque Allobroga culpet;
At miſero de vate ſatis; nihil ampliùs addo.
Lubrica res, aiunt, Satyram perſcribere; paucos
Delectat, ſalibus multos offendit; ab illo
Quot mala fonte fluunt? Regnerus non ſemel audax
Flevit, & indignans rabioſa ſilentia roſit.
Quos miſerè quæris, ludos tandem abjice; muſa
Ludat amabiliùs; monitor Phulletius Orbem
Defricet auſterus, ſit tanta licentia ſoli.
Materiam præſcribe igitur quam carmina ſumant.
Grandia Malherbam volventem verba ſecutus,
Turbatis pingam refluentem fluctibus Iſtrum,
Aut gentem Hebræam templa ad Solymæa reducam
Compedibus ruptis tandem? Memphimne ſuperbam
Terrificem, trepedíſque volans interritus undis,
Stultus Idumæas properem decerpere palmas!
Num grege Balantum muto ſtipatus, inertes
Ruſticus experiar calamos inflare per Urbem?
Muſeo incluſus, fagique abſentis ad umbram,
Vicinos colles carmen ſylveſtre fatigem
Uſquè recantantes? ardebo frigidus Iri?
Aurorâ vel ſole mihi ſit pulcrior Iris?
Incolumis moriar ſegniſque & fictus amator!
Putida melliti narrent figmenta Poëtæ,
Mollitiâ ſtupidam quæ frangunt deſide mentem?
Utilium dives Satyra, admiſcere ſeveris
Dulcia ſola poteſt, & acuto carmine, recta
Quod Ratio dudùm limans caſtigat, ineptos

Admonet, intortos oſtendere callida mores.
Sola etiam faſtus contundere firma tumentes,
Tranquillâ vitium regnans in ſede laceſſit.
Sæpè metûs expers, ſalsòque armata lepore,
Offenſam doctâ Rationem ulciſcitur arte.
Sic Cotinos quondam Lucilî muſa latinos
Lælî præſidio ſecuit munita potente.
Nativi ſic, Flacce, ſalis benè prodigus, olim
Pelterios quos Roma tulit ludendo notabas.
Illa (rudis vix luſtra mihi tria clauſerat ætas)
Tornatos durè verſus ridere jubebat.
Illa, ſacro tutos dum quæro in vertice calles,
Firmavit timida incerti veſtigia vatis.
Illi ego (ſi quæ olim canerem) mea carmina vovi:
Quanquam, ſi quid opus, votum nunc corrigo, tandem
Ut mihi miteſcat genus irritabile vatum
Quidquid carminibus commiſi, ſingula muto;
Jamque ſtylum verto, quoniam tibi ſic lubet, acrem,
Eſto, Virgilium æquiparat gravitate Quinaltus.
Burſaltus noſtro micuit ſol aureus ævo.
Pelterio cedunt Ablancurtùſque Patrùſque,
Vaſta trahens Cotinus numeroſam in templa cohortē,
Per ſtipantûm undas tendit prenſare cathedram.
Ingenio reliquos ſuperas, Salfale, nec arte
Vinceris à quoquam. Perrinus.... age, acriter inſta.
Sed vatum rabioſa cohors atro oblita verſu,
Hæc quoque te pravum ſtudio feciſſe putabit.
Quanta tibi invidiæ tempeſtas imminet! illos,

Ut de te faciant doctæ ſpectacula genti,
Ut rabiem exſaturent, probroſa volumina vulgus
Spargere in offenſum, innocuóſque in crimina ludos
Tetra referre gemes, capite expendenda reciſo.
Verſibus incaſſùm Regem ſuper aſtra vocabis,
Et ſacram quævis laudabit pagina nomen.
Qui Cotinum ſpernit, Regem aſpernatur, & idem
Si Cotino credas, vivit ſceleratus & exlex.
Aſt aliquà poterit Cotinus nocuiſſe, repones ?
Latratu, quæſo, quid proficit uſquè procaci ?
Annua carminibus, quæ fòrs miratur & ipſe,
Præmia gaudebit planè inſperata negari ?
Dignum laude feram in cœlum ut muſâ auſpice Regem,
Nil opus eſt, linguam ingenioſa pecunia ſolvat :
Accepti magno fuerint pro munere verſus.
Ille ego, qui ludo ſolitus defigere culpas
Ingenuò, laurum detraxi tempora circùm
Indocta hærentem, Regis celebrabo labores
Verſibus egregios, Majeſtatique verendæ,
Cum res ipſa feret, perſolvam gratus honores.
Eſto : ſed intereà clamant, extrema minantur.
Frendeat ignea gens, clamet ; nil talia curo.
Nil curas, inquis ? magno ſtat lædere vatem,
Qui poterit... quid enim ?... novi... ſed amabo ?...
quieſcas.

HENNEGRAVE.

EPISTOLA III.

AD

D. ARNALDUM

DOCTOREM SORBONICUM.

SCILICET ambigui per acuta ſophiſmata Claudî,
Ipſe Novatorum fallaces perſpicis hamos,
Retiaque incautis cœcam meditantia fraudem
Rumpere amas, Arnalde : immiſſo at lumine fruſtrà.
Nigrantes oculis torpentibus excutis umbras,
Si, cùm diffugiunt ad relligioſa, reluctans
Uſque pudor timidos ad templa profana repellit.
Nec tamen, haud dubita, ſeſe deludere ſolers
Opponit certis impervia pectora telis
Claudius; at verbo celerem parere potenti
Siſtit atrox genius, flammatoque increpat ore.
Vinceris, & victum ignoras quæ fama ſequetur.
Quin & felici in reditu infelicia mendax
Fingit, & hæreticæ oſtentat ſuſpiria gentis,
Ancipitique ipſum verſans in pectore numen

Obruit infirmæ naſcentia ſemina lucis.
Corda ſuperba hominum nil imperioſiùs urget,
Quàm, qui nos, Arnalde, vetat conſiſtere Recto,
Indomitus pudor. Hic virtutum ſubdolus hoſtis
Inviſâ opprobrii ſpecie deturpat honeſtum,
Hic etiam miſeras, dociles que aliena ſubire
Servitia, immiti captivat compede mentes;
Hoc ſuperante, tremit, torpetque ingloria virtus.
Aſpicis ut nequam ille palam imperterritus alto
Abnegat ore Deum, tacitâ quem mente fatetur?
Ad manifeſtam ultro rueret bene transfuga lucem:
Sed falſi ignavus ſannis terretur amici,
Irridetque Deum terrore audacior ipſo.
Hinc orbi incubuit fatalis turba malorum;
Hinc ſtultè pavidos aliena arbitria terrent;
Alter & alterius famulari pectore nutum
Obſervans virtutem extra, vitiumque requirit.
Inſani pudeat fieri ludibria faſtûs!
Teque imbecillum ſaltem invalidumque fatere
Mortalis: dum febris edax depaſcitur artus,
Quid juvat hanc mentiri? Acres en igne maligno
Scintillant oculi, numerique oblita prioris
Vena incompoſito ſalit impete. Quis pudor eheu
Te jamjam moriturum adigit ſimulare valentem!
Ecquid habes: Nihil: at...Nihil inquam, ait, ore, habituque
Fallaci occultans cæcos, quibus æſtuat, ignes,
Nec minùs apparent, totoque in corpore regnant

Ulcera, & exuperat febris horrida, quæ modò victrix
Funereas inter luces, & triſtia leti
Inſtrumenta nigro porrectum in limine pandet.
Exitium hoc prudens feſtina avertere; jam mors
Furtivo allapſu non intellecta propinquat;
Dum fas eſt, luciſque uſuram indulget amicum
Numen, age, oblatamque citò rape providus horam;
Hora fugit, traheriſque fugaci, hoc quod loquor, inde eſt.
Sed quid ego hæc necquiquam? animis pudor acriùs inſtat:
Sic eſt, tu miſeros, maleſuada inſania perdis,
Tu primum exturbas regali ſede parentem,
Felicis vanâ dum captus imagine ſortis,
Fœmineamque fidem timidus damnare, nepotes
Devovet (infandum) crudeli uxorius orco.
Funeſtam ſoboli ante diem obſequioſa pudicis
Turba voluptatum ſeſe dabat obvia votis.
Non furioſa fames jejuna armenta necabat,
Gratuitas ſegetes, atque annua dona benigno
Fundebat terra alma ſinu, nondumque prementi
Terga fatigatus haſtâ, & gemebundus anhelo
Inceſſu luctantem ægrè ſulcabat humum bos.
Pendula fecundis in vitibus uva rubebat,
Lacteaque errabant per amœnos flumina campos.
Ex illo miſer, & cæleſti obnoxius iræ
Vectigalem Adam ſolvit pro crimine luctum
Membraque inexhauſto durata labore, malignâ

Coguntur tardas fruges extrudere terrâ.
Continuò hirſutam per humum malè fertilis horret
Carduus, & paſſim lethalis vipera repit,
Arentes torret rabioſa Canicula campos,
Et cælum irato ſtridens Aquilone remugit:
Tunc quæ defendant inimico à frigore corpus,
Vellera diripiuntur ovi, & ſimul agmine facto
Peſtis atrox, & acerba fames, bellumque cruentum
In fatalem hominum conjuravêre ruinam.
At pudor & peſte & bello crudelior orbem
Invaſit, triſtique jugo fera corda ſubegit;
Protinus hac de ſtirpe infelix ſylva malorum
Pullulat, imprimiſque ſibi moroſus, & aſper
Turpe lucrum falſâ pretexit imagine Recti,
Pauperiemque, probrum velut omne, expallet avarus.
Hoſtiles etiam virtus exterrita terras
Liquit, honoſque comes; cæciſque abſtruſa latebris
Delituit pietas: nemo, licèt integer, ex hoc
Libera veſano ſubduxit colla pudori.
Proh! quanta effluxit primo de crimine labes,
Ipſum alios verbis qui nunc caſtigo ſeveris,
Ipſum, Arnalde, pudor domuit, contraque pudorem
Necquiquam virtus proſtrata aſſurgere tentat.
Errabundus, iners, volucrique incertior aurâ,
Dum cæno, quo me vitia implicuêre, tenaci
Demerſam obluctor vi multâ evellere plantam;
Altera procumbit, limoque reſorbeor imo.
Namque meæ, ut nunc eſt, ſi ſeſe lux nova menti

Infundat, rectumque palam defendere cogat,
Aſpectu nutuque hominum conterritus hiſco.
Et contra hos verſus, dubiæ quos dextera chartæ
Credidit, horreſco quis erit per compita rumor.

VANDEBERGUE,

DOCTISSIMO ET CLARISSIMO VIRO

NICOLAO BOILEAU DESPREAUX,

Cùm ei mitteretur ſua Epiſtola ad Villicum è Gallico in Latinum converſa.

HENDECASYLLABI.

JUDEX ſumme operum elegantiorum,
Claris Vatibus invidende Vates:
Cui cenſoriam in erudita ſcripta
Ipſe Caſtaliæ Magiſter aulæ
Virgulam dedit, & dediſſe gaudet:
Res eſt dura, ut ais, nec expedita
Floream ſegetem, roſaſque amœnas
E ſylveſtribus evocare dumis.
Hoc ſenſi experiens, diuque torſi
Sudans ingenium, BOLÆE; carmen
Dùm modis cupio aſſequi Latinis,
Quo, quidquid magis eſt agreſte & hirtum
Tactù protinùs efficace, mutas
In florum pretioſiora ſerta.
Hîc aures hominum ſeveriorum

Villicus recreat laborioſus,
Cui nos eſſe videmur otioſi,
Gens tamen minimè otioſa, Vates.
Duro nempè minùs ligone glebas
Durum eſt ſollicitare, quàm rotundos
Verſus, quos Chorus aſper invidorum
Allatratibus irritis laceſſat,
Doctâ radere & expolire limâ.
Id præſtare tuum eſt, BOLÆE; nuſquam
Unguibus potuit locum malignis
Infenſus tibi repperire livor.
Talem oportuit herculè eſſe Vatem
Illum, ac vel levibus carere mendis,
Qui mores ſale defricaret acri,
Et jocante minax ſtylo fugaret
Secli opprobria, putidos Poëtas.

EPISTOLA XI.

AD SUUM VILLICUM.

VILLICE, quem domino meliori addicere fata
Non poterant, tranquillum ageres ut leniter ævum,
Antoni, rector commiſſi operoſus agelli,
Qui taxos humiles, qui flores ordine miro
Inſtruis, & longo ramos pro pariete doctâ
Diſpenſare manu ſolers, quam induſtrius autor
Quintinius docuit, tractas feliciter artem.
O utinam! noſtrum ut purgas à vepribus hortum,
Sic mihi, ſic ſpinas animo quis vellere poſſit,
Fœcundaſque nimis vitiorum exſcindere ſtirpes.
Verùm age: cùm primi de lumine ſolis ad umbram
Undâ ſpargis humum duriſve ligonibus urges,
Et malè jejunam cogis pingueſcere terram,
Imperiiſque tuis docilem ſe ſubdere fundum:
Quid cenſes, tacitis ſeu muſſans verba labellis
Deprimo moroſam, aut ſurſùm arduus erigo frontem,
Seu modò anhelatas jaculatus in aëra voces,
Hoſpitibus ramis avium trepida agmina pello.
Nùm venit in mentem me captum dæmone, qualem

Oſtendunt tibi portentoſa volumina Maugim,
Subrauco magicos meditari murmure verſus ?
Sed fallor : melius quid de me conjicis ; hæret
Mente tuas quondam qui ſerpſit rumor ad aures,
Munus hero impoſitum ut longos diffundat in annos
Regis facta, quibus Caroli prudentia Magni,
Selecto Procerum quamvis adjuta ſenatu,
Bellicaque haud dubitet faſces ſummittere virtus.
Hoc me operis cælare putas, calamoque ſuperbos
Forſitan hîc Montes, aut expugnare Namurcum.
Quis foret ergò ſtupor, ſi quem componere geſta
Fortis Alexandri magnas ſuperantia laudes
Audiſti pridem, hunc diſcas noctuque diuque
Mille modis agitare ſuum & torquere cerebrum,
Ut nova procudat vi multâ carmina, queis det
Inſpicienda tibi demens præcordia vates.
Scilicet, audit herus latè doctiſſimus, inquis,
Sic loquitur quandoque, ut non meliora loquantur
Qui ſacræ ſublimi è ſuggeſtu oracula fundunt :
Hunc tamen ad noſtros adigat fortuna labores,
Vertere cogat humum, glebas æquare cylindro,
Luxurioſa nimis ferro depaſcere ligna,
Æternamque ſitim ſatiare voracis arenæ,
Non has efflando nugas volucrum otia rumpas.
Nempe uter, Antoni, noſtrum plus ſudet in horto
Si quis quærat, eum te clames protinùs eſſe.
Quàm procul ex animo fugeret tam ruſticus error,
Si ſubitus vates, & curâ liber agreſti,

Exigere inſtituas ad amuſſim carmina, rebus
Quæ minimis addant decus, addant pondera nugis,
Inque roſas mutent dumeta hirſuta, vepreſque:
Carmina, quæ teneant aures perfecta ſeveras,
Quæ, quod in urbe hominum ſapit, aut naſutius aul
Quidquid habet, vultu legat atque revolvat amico.
Hinc ſiccus, gracilis, contractaque pallidus ora,
Ceu biberit longos exuſta cuticula ſoles;
Continuò dicas nota inſtrumenta retractans,
Explanare ſoli vel centum jugera malim,
Quàm fruſtrà ingenium rurſùs laſſare, per auras
Ut ſtolidè evectus nubes & inania captem,
Nominaque inter ſe malè diſcordantia jungam.

Ergò ades hùc paulùm, atque aurem ſubſtringe loquenti,
Dum doceo quid ſint, Antoni, pœna laborque.

Omnibus in terris genus incubat omne malorum,
Affixuſque hominis lateri labor uſque fugaces
Nos premit, & puram haud patitur libare quietem.
Dulcia nequicquam mendaces otia Muſæ
Vatibus oſtentant, cupidoſque ſub antra clientes
Frigida nequicquam admittunt, nemorumque receſſus.
Hic dulces inter latebras, & amœna vireta,
Ecce adſunt teretes numeri, facundia velox,
Sermonis nitor, & diverſâ in veſte figuræ,
Quæ, veluti doctis cruciantque tenentque venenis
Humanas Saganæ mentes, ſic impete facto
Pallentes unà alliciunt, vexantque poëtas.

Ergò dum Veneres fugitivas prendere tentant
Ærumnoſa cohors atque Orpheos æmula, ſemper
Curva ſub immenſo laurorum pondere anhelant.
His tamen arridet labor, & blanditur amicus,
Hos ſua pœna juvat. Tormenta ſed omnia longè
Exuperare hominis mihi ſors oneroſa videtur,
Qui craſſos tranſire dies languore ſepultus
Fœdo amat, ac luxu ignavo reſolutus, ab omni
Averſus ſtudio, & tenebroſæ vile quietis
Mancipium, indoctæ tolerat ſtupida otia vitæ.
Ille quidem ſtrepitu procul, inviſoque tumultu
Turpi in deſidiâ, atque ſitu latebroſus opaco,
Affectat requiem, votis ſed inanibus ambit.
Turba voluptatum, reſupinæ fœtida proles
Mollitiæ, imperiis haud lenibus uſque fatigat
Quantumvis torpentem animum, & regina Libido
Ventilat infami ſopitas pectore flammas;
Nec ceſſat ſtimulum improba ſubjectare furenti,
Donec ad arbitrium moveat, flectatque ſequacem.
Tædia dein ſubeunt, ac illi verbere ſurdo
Inſtat conſcia mens. Quin & circumſilit omne
Morborum genus; hunc & renes calculus urens,
Viſcerem & invadit dolor, & nodoſa podagra.
Mox propè ſubſequitur vel morbis tetrior ipſis
Grex ater medicorum, & vultu infauſta minatus,
Ut lectum ægroti, pœnæ lugubre theatrum
Omnigenæ, obſedit, carioſis horrida membris
Indicit tormenta; ignem, ferrum applicat ultor.

Fomentiſque putres onerat crudelibus artus.
Ringitur infelix, duramque tibi invidet artem,
Sudoreſque tuos. Hinc mecum collige quantum
Maſcula paupertas, experrectique labores
Divitiis præſtent, & plumis Sardanapali.
Ac ne quis dubitet, neu contra mutiat, audi
Quò rem deducam. Vitæ ſolatur acerba,
Fortunatque homines labor: at qui crimine mentem
Implicuit, dirum tortorem geſtat ubique,
Nec comes anxietas ſinit hunc ſpirare quietum.
Hæc duo te paucis, animum contende, docebo.
Sed quid ego hæc autem? laxum compage ſolutâ
Inclinas caput, & diffuſis undique malis
Os patulum totâ diducis latius ulnâ:
Deſino, nec verbum, ne te morer, amplius addo.
En etiam queruli te per convitia flores
Crebra vocant ceſſantem, & moto vertice quærunt
An poſitis celebret pagus feſta otia curis,
Fundere quòd parcas dudum ſitientibus undam.

Æmula ſed poſtquam geminis diſperſa ſenectus
Temporibus canet, rugoſâque invida dextrâ
Ter mihi vicenos, duo ſi detraxeris, annos,
Magnum onus, impoſuit; ne vos, mea Carmina, lactet
Frivola ſpes: quis enim vanis turgentia nugis
Iſta emat argento? Melior jam evanuit ætas;
Utque abeundo jocos mihi, ſic extorſit honores.
Ecce quati riſu, & vobis illidere dentem
Cernetis populum, veſtroque illudere Vati:
Quemque modò æquabat ſummis Scriptoribus, illo
Expunctum numero, turbam ſeponet in imam.
Fruſtrà erit exclamaſſe, *ô vita longior uſus!*
Huncne diu vixiſſe, ſenex infamis ut eſſet?
Nil minùs intereà centum convicia quiſque
Ingeret, & Vatem dictis urgebit amaris.

Nam quæ tanta animum cœpit dementia? Quare
Jam rude donatus veteri ſe includere ludo
Geſtit, & elumbes, fractoſque extundere verſus?
Deſine, ſi ſapias, & equum dimitte ſenilem,
Ne ſubitò peccet ridendus, & ilia ducens
In mediâ revolutum equitem proſternat arenâ.
Talia jactabit mordax per compita cenſor:
Tum mea naſutè diſtringens ſcripta, figuras
Scribendi varias, varios culpare colores:
Si quod odoratur dictum feliciter audax,
Hoc velut intruſum vitioſè, uſuque remotum
Allatrare. Nefas *Lectum* appellare *protervum*
Afferet, & ſanctum verbis violare pudorem

Quiſquis *Luxuriam* vel tantùm nominat. Ergò
Tot contra populi, vos ô mea Carmina, ſannas
Firma manere loco fruſtrà tentabitis: ire
In tenebras, & ſorte pares inviſere verſus
Coget publica vox, chartâque amicire recenti,
Queis præbere ſolent chartæ velamina ineptæ;
Aut projecta *Novi* hinc atque hinc in margine *Pontis*
Paſcetis tineas, incondita fragmina, inertes.
Sed quid ego hæc autem malè ſurdis irrita canto?
Scilicet æternum famæ immortalis honorem
Spe jam præcipitis; longoſque ut gratia in annos
Virgilio & Flacco vivax conſtabit, eodem
Creditis in pretio venturis vos fore ſeclis.
Ite igitur; Vobis, per me mora non erit ulla,
Ut libet indulgete, in apertam erumpite lucem;
Sed vos fraternis ſocios adjungite verſus:
Sic cognatam inter, confuſa Poëmata, turbam
Vos, ut legitimos fœtus in jura paterna
Forſitan haud renuet judex admittere lector.
Sin etiam quandoque meo vos nomine captus
Non dedignetur facili percurrere vultu,
Hanc mihi mercedem poſco, mea Carmina: veſtri
Effigium Vatis, calamo quam livor iniquus
Mendaci expreſſit, calamo emendate fideli.
Dicite quem falſis pinxêre coloribus atrum,
Ingenio vixiſſe bono, facilique, pioque,
Semper & in chartis ſectantem ponere Verum,
Si quoſdam carpendo mali quid fecerit, illud

Haud animo feciſſe malo, at candoris amore.
Dicite vexatum miſeris Scriptoribus, horum
Scripta remordentem, mores nec molliter uſquam
Vel dicto ſtrinxiſſe levi; ſermone loquenda
Dicere non timidum, cautum celanda tacere,
Viribus haud firmum, non grandi corpore, mitem
Ore, voluptatum illecebris hand cedere mollem,
Et ſi cultorem minùs, at virtutis amicum.

Si quis fortè velit vitamque & noſſe parentes;
Noverit is Scribâ me natum Patre, Viriſque
Quos Themis orantes ſtupuit majoribus ortum,
Et mihi non humiles cognato ſanguine jungi.
Noverit, ut primas ſpiranti luminis auras
Aſpera mors viridem mihi Matrem invidit, & annos
Bis poſt octo, ſenem invidit mihi cruda Parentem;
Me tamen intereà, ducibus ſine; ſed duce raptum
Ingenio, jamque in ſcriptis tritum atque recoctum,
Flacce, tuis; tuaque urgentem veſtigia, Perſi,
Monte ſub Aonio vobis ſediſſe propinquum.
Tum, Verſus, narrate ut ſummo è culmine Pindi
Protinus in mediam, fortunæ Filius, Aulam
Sorte novâ delatus, & ipſe aſſurgere niſu
Audax inſolito, valui non degener ales
Majores patrio pennas extendere nido:
Ut REX ille, ſuo magnos qui nomine Reges
Terrificat, ſua me voluit deſcribere facta:
Meque Viris narrare etiam placuiſſe ſupremis;
COLBERTO placuiſſe, & ſummis nunc quoque charum

Vivere: nam licet à Scenâ in ſecreta remotus,
Et ſenſu obtuſus gemino lateam in lare, noſtris
Heroës tamen interdum ſuccedere tectis,
Et mecum uſurpare domi docta otia gaudent.

At natale comes Genius qui temperat aſtrum
Indulſit majora etiam mihi prodigus: illa
Et memori nunquam delebo pectore, at illa
Vos quoque, vos Verſus, totum celebrate per orbem;
Nempe ego Loyolidæ benè multos gentis amicos
Et ſi habeam, tamen hos contra qui ſæpe potentem
Exeruit calamum Arnaldus, quo plurima punxit
Scripta ſtilo, noſtram voluit defendere Muſam.
Ergò mei, ſi vos tangit mea gloria, Verſus,
Quà tepidas oriens Sol afflat lumine terras
Ite citi, Pariumque mihi conquirite marmor;
Hujus ut inſcriptum pretioſo nomen in auro,
Noſtrum olim ſignet tumulum, decoretque favillam;
Hocque meis nomen cenſoribus obſtruat ora.

Sed quid ego ardentes longo ſermone fatigo?
Jam vos poſcit hians Barbinus, & oſtia pulſat.
Haud fallor, vox nota meas en contigit aures.
Ite igitur, Verſus, mihi ſupremùmque valete.

ODE

ODE
IN EXPUGNATIONEM
NAMURCÆ,
EX GALLICA ODE
N. B. D.
IN LATINAM CONVERSA.

Auctore CAROLO ROLLIN, *Regio Eloquentiæ Profeſſore.*

DOCTISSIMO
ET
CLARISSIMO VIRO
NICOLAO B. D.
HENDECASYLLABI.

CAllici decus arbiterque Pindi,
Codris ac Baviis timende Vates:
Per quem laude vigens nova Vetuſtas
Contra murmura plebis imperitæ,
Et convicia ſtat calumniantum:
Munus accipe, te, Bolæe, dignum:
Quod tu, ſis licet aure delicatâ
Judex difficilis, ſeveriorque,
Non tamen, reor, improbare poſſis,
Verſus ecce tuos tibi Latinis
Donatos numeris modiſque mitto.
Noſtris credideram hoc opus Camœnis
Intractabile Nubium meatus
Tecum tendere in arduos verebar,

Pennıſque imparibus ſequax Hirundo
Poſt audacem Aquilam volare ſtridens
Inſuetum per iter. Sed adſtitêre,
Quotquot Roma tulit bonos Poëtas,
Inſervire operi tuo, locumq[illegible]
Verſus inter habere geſtientes
Vatis, vindice quo perenne ſervant
Illæſi decus inter inquieta
Allatrantum odia, irritoſque morſus:
Imprimis, tua cura, amorque Flaccus,
Flaccus deliciæ tuæ, ſuperbis
Te cujus ſpoliis nitere, dudum
Grex crepat maleſanus invidorum:
Ardet dicere Principis triumphos,
Qualem tempora nec tulere priſca,
Qualem nec ſua venditavit ætas.
Terretur tamen inſolens locorum
Aſpris nominibus, rudeſque contra
Luctatur fluvios diu: ſed omnes
Moras vincit amor tui, nec ullus
Te propter labor arduus videtur.
Perge ergo Veterum, Bolæe, famam,
Et ſcripta, & decus, ut facis, tueri.
Junctis hoc precibus repoſcit à te
Quidquid eſt hominum eruditiorum,
Quidquid eſt hominum politiorum,
Et ſani ingenii, bonæque mentis.
Corvorum interea ſinas cohortem

Te contra crocitare garrulorum
Quid poſſunt Aquilis nocere Corvi ?

CAROLUS ROLLIN, Regius
Eloquentiæ Profeſſor.

Σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ.
Μαθόντες δὲ, λάβροι
Παγγλωσσίᾳ, Κόρακες ὣς,
Ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον. Pind. Od. 2. Olymp.

Natura Vatem ſola facit : labor
Si quos per artem promovet improbus,
Clamore ne quicquam procaci
Rauca crepant crocitantque corvi.
Contra miniſtrum fulminis alitem.

ODE
IN EXPUGNATIONEM
NAMURCÆ.

QUIS fonte ſacro dulciter ebrium
Repente doctus me furor abripit?
Fallorne? Caſtas en Sorores
Ante oculos mihi Pindus offert.
Huc vos, Camœnæ, dum Lyra parturit
Sonora cantus ferte citæ pedem:
Adeſte, & arrectis modoſque
Auribus ac numeros notate.
Concuſſa pronis arboribus mihi
Jam ſylva plaudit. Vos, jubeo, graves
Silete Venti: LUDOVICUM
Aggredior celebrare verſu.
Audax volatu Pindarus arduo
Secare tractus ætheris invios,
Cœtuſque vulgares peroſus,
Longâ humiles fugiente pennâ
Terras relinquit. Tu, Lyra, tu pote,
Si fida juſſos reddideris ſonos,

Audita ſylvis montibuſque,
Threïcios ſuperare cantus.
Proh! quanta moles ſurgit in æthera!
Phœbus-ne murorum inclytus artifex,
Comeſque Neptunus laboris,
Rupibus impoſuêre celſis
Turres ſuperbas? hinc Sabis, hinc Moſa
Fluctus amicos conſociare amant:
Hoſtique inacceſſas profundo
Gurgite, præcipitique foſſâ
Tuentur arces. Ærea deſuper
Centum è tremendis culminibus tonant
Tormenta, ferrataſque torquent
Ignivomo procul ore mortes.
Hinc inde Miles cedere neſcius,
Ipſi nec impar viribus Herculi,
Muros coronans, fulgurantes
Aëria jaculator audax
Ab arce flammas, & crepitantia
Subjectum in hoſtem fulmina decutit.
Quin & doloſis terra celans
Undique viſceribus paratos
Erumpere ignes, ut propiùs ſubis,
Infida rupto nempe ſinu, vomit
Repente Vulcanum latentem, &
Sulphureum reſerat ſepulchrum.
Namurca, turres ante tuas ferox
Hæreret olim Græcia plus decem

Luſtris, & incaſſum ſuorum
Funera mille Ducum videret.
At quis catervas innumerabiles
Inter tumultus horriſonos trahens,
Quis ille Bellator propinquat;
Aggeribuſque tuis ruinam
Minatur audax fulmineâ manu?
Quos dat fragores! Jupiter ipſe adeſt,
Aut triumphatis ſuperba
MONTIBUS impoſuit trophæa.
Agnoſco frontem, lumina, regios
Vultûs honores omnia LUDOVIX.
Jam cerno pallentem ſub ipſis
Naſſavium trepidare caſtris.
Fruſtrà Batâvus jam docili jugum
Cervice portans, & Leo Belgicus,
Olimque Germanæ feroces
Nunc humiles Aquilæ, Britannis
Servire Pardis accelerant. Pavor,
Quem ſparſit ipſo nomine LUDOVIX,
Terrore concuſſos recenti,
Cogit in auxilium remotas
Vocare gentes. Hos Tagus aurifer
Mittit peruſtos ſolibus: hi domos
Linquunt pruinoſas, pigroque
Finitimas Boreæ paludes,
Repente ſed quæ vis fera turgidos
Irritat amnes? Arva Decembribus

Mirantur exangues Gemelli
Undique diluviis natare.
Ante ora ſævis prædam Aquilonibus
Perire meſſem ſtrata gemit Ceres,
Urniſque nimboſis furentum
Merſa Hyadum ſua regna plorat.
Laxate veſtris fræna furoribus,
Imbreſque, Ventique, & Populi, & Duces:
Armate, nos contra, pruinas;
Colligite innumeras cohortes:
NAMURCA verſis aggeribus tamen
In pulverem ibit: ſcilicet hac manu
Arces tremendas fulminante,
Oppida quâ cecidêre centum;
Quâ, terror ingens, Cameracum ruit,
Pendenſque celsâ rupe Veſontio,
Limburgus, Hiſpanoque faſtu
Ganda tumens, Ypra, Dola, Montes;
Non falſa Vates auguror. En tremit
Concuſſa moles: jamque ſub ictibus
Muri laborantes fatiſcunt,
Præcipitemque trahunt ruinam.
Mars rupe ab altâ ferreus imminens,
Fragore vaſto mortiferos procul
Eructat ignes: fœta flammis
Machina ſulphureis repente
Sublata in auras, fulminis intimos
Quærit receſſus: mox ſtrepitu gravi

Videtur infernas relabens
Velle ſibi reſerare ſedes.
Huc, ô Namurcæ, rebus in ultimis
Spes ſola, linguis egregii Duces,
Adeſte, Naſſavique prudens,
Tuque ferox Bavare: hinc licebit
Impune tutos poſt vada fluminis
Cuncta intueri. Terribiles minas
Murorum, & anfractus malignos,
Difficileſque aditus locorum
Spectate: ut aſpris rupibus impiger
Reptando miles nititur; ut grave
Cœnum inter ac flammas, laborem
Dux operis Lodoïcus urget.
Inter procellas turbinis ignei,
Chriſtam eminentem vertice Regio
Spectate, ſidus Gallo amicum,
Hoſtibus at pariter timendum.
Ut lucet, illic ſcilicet omnibus
Victoria alis advolat, aureos
Currus triumphaleſque lauros
Approperans, ſequiturque paſſu
Victorem anhelo. Quin agite, inclyti
Heroës, oræ maxima Belgicæ,
Tutela: vos huc, tempus urget,
Omnibus huc properate turmis,
En totus in vos lumina contulit
Arrectus Orbis. Nunc animis opus,

Jam cerno latis ad Mehennam
Signa procul volitare campis.
Miratur amnis pauper aquæ ſuis
Tot ire ripis agmina militum.
Ire ergo. Quid ! tranare ſegnes
Exiguum trepidatis amnem ?
Haud Gallus obſtat : littoribus procul
Ultrò reduxit caſtra : patens iter
Vobis relinquit. Quid moratur
Tot peditumque equitumque turmas
Vultuſne Galli ferreus aſpici
Repente ſiſtit ? Quo validi Duces
Fugêre, dementes ruinas,
Gallico & Imperio minati
Crudele funus ? qui ruere omnia
Ferro parabant, & Tameſis procul
Ab uſque ripis atque Dravi,
Sequanicos ſuperare fluctus.
Terror NAMURCÆ mœnibus interim
Augetur : arcis jam petit ultimæ
Hiſpanus extremos receſſus :
Protinus hunc medios per ignes,
Per tela Gallus perſequitur ferox :
Interque rupes atque cadavera,
Armorum & ingentes acervos,
Latum iter enſe aperit cruento.
Actum eſt : ab alto triſte ſonans dedit
Fatale ſignum buccina : ſupplices

En cerno dextras, flamma ceſſat;
Urbſque pater reſerata portis,
Nunc, nunc feroces ponite ſpiritus,
Infenſa Gallis agmina: nuncium
Ferte hunc ſuperbi fœderatis
Urbibus, ante oculos NAMURCAM
Periſſe veſtros. Aſt ego, quem choros
Phœbus Poëtarum inter amabiles
Primis receptum ſponte ab annis,
Numinis interiore lapſu,
Suâque præſens mente animat, Deo
Afflante plenus, per juga nobili
Calcata Flacco, perque ſaltus
Pierios animoſus ibo:
Quin &, ſenectus immineat, licet,
Crudis juventæ viribus integer,
Tentabo inacceſſos profanis
Altior invidia receſſus.

MAMURCUM EXPUGNATUM.

ODE

EX GALLICA N*. B*.

Auctore LENGLETIO, *Regio Eloquentiæ Profeſſore.*

QUis me inſolenter concutit ebrium
De fonte potus Caſtalio furor?
Phœbumne, Pimplæaſque cerno
Linquere Pieriam Sorores?
Adeſte Divæ. Jam mihi vertice
Querceta moto plaudere geſtiunt
MAGNUM triumphantem canenti,
Nec placidis ſtrepit aura ſilvis.
Tranare ventos par Jovis aliti
Exit procellis Pindarus altior;
Viſuſque mortales, & alis
Vile ſolum fugit explicatis.
Tu me canentem ſi poteris, Lyra,
Æquare plectro non imitabili;
Nil tecum olorinos recuſem
Vincere, Threïcioſque cantus.
Muri ſtupendam quis Deus extulit

Molem minacis, quam procul intuor
Surgentem, & inſano labore
Rupibus impoſitam tremendis?
Hinc vorticoſis gurgitibus fremens
Defendit arces aërias Moſa;
Et Sabis illinc tortuoſis
Flexibus irrequietus ambit.
Tormenta ab altis culminibus tonant
Ahena centum. Mulciber impotens
Glandeſque flammatas, & atram
Fulmineo vomit ore mortem.
Delecta ſummis turribus inſidet
Enſes corruſcans mille virûm manus,
Dextrâque fatales rubente
Deſuper ejaculatur ignes
Tellus doloſas peſtifero ſinu
Flammas recondit: ſulphura fomite
Incenſa ſuppoſto laborant
Rumpere cum ſonitu gementes
Subtùs cavernas. Saxa volant ſolo
Ejecta ab imo, cumque ſuis viros,
Fumi redundantis per umbram,
Armaque mixta rotant ruinis.
Non hæc furenti mœnia Ulyſſeo
Quondam ſuperbo non Agamemnoni,
Bello decennali paterent
Militibus quatefacta Graiis.
Quis ille contra terrifico tamen

Fragore tendit? Jupiter impiam
Rurſuſne bellator Gigantum
Igne parat ſobolem caduco
Delere: campis an grave Belgicis
Ferrum retractat Marte ferox novo,
Qui nuper horrendo tumultu
Montibus intonuit ſubactis:
Agnoſco mixtum frontis honoribus
Regalis inſtar grande ſupercili,
Quo celſa Bruxellæ tremiſcunt
Mœnia: Naſſaviuſque pallet
Regnator Aulæ perfidus Anglicæ:
Servire cui nunc ambitioſior
Hollandus ardet; cui ſuorum
Belga acuit rabiem Leonum
Nequicquam: ab Iſtro cui venit ultimo
Germanus audax ultrò Aquilas truces
Miſcere cum ſignis Batavûm
Et dominis ſociare Pardis.
Atque impiati fœderis artifex,
Nunc ille caſſus multiplicis doli,
Ad bella gentes indecente
Sollicitat pretio redemtas,
Et dives auro quas liquido Tagus
Sub æſtuoſo proluit æthere;
Et quas procelloſus Riphæis
Exagitat Boreas pruinis.
Sed cur malignis, ſidere non ſuo,

Meſſes December verberat imbribus ?
Cur Sabis inſuetùm refuſâ
Sternit agros violentus undâ ?
Luctu refugit, ſeque per avios
Mœſtam receſſus proripuit Ceres;
Dum ruris immites honorem
Verſâ Hyades populantur urnâ.
Sævite nimbi; tollite ſibila
Tempeſtuoſis flaminibus Noti,
Caurique; Reges fœderato
Undique ferte metum duello.
Ibit Namurci mœnia LUDOVIX
Per denſa nimbis & nive nubila,
Cauros per obſtantes, Notoſque
Vertere, perque metum ferentes
Regum catervas. Jamque ſub intimis
Concuſſa nutant ardua ſedibus
Vallique, tectorumque; & alti
Aggeris omne latus fatiſcit.
Libratus igni ſulphureo globus
Longum liquenti ſignat iter polo ?
Noctemque mox præceps relabens
Sub pedibus Stygiam recludit.
Huc ſigna tempus vertere, Naſſavi:
Inferre turmas huc, Bavare, ociùs
Hortatur in Martis labore
Uſque tibi decus expetitum.
Hic vos periclo quippe manet levi

Captando magni gloria nominis :
Impunè poſt ripam licebit
Fluminis oppoſiti quietis
Spectare Francum ſaxa per inviæ
Nitentem in auras , nec benè lubricos
Greſſus regentem diſſipatī
Fragmina per reſupina montis :
Spectare MAGNUM ſtagna paludibus
Infuſa pigris milite cum ſuo
Tranantem , & audentem catervas
Ducere fātiferos per ignes :
Inſignis olli ut vertice regio
Dat chriſta lucem terrībilem hoſticis
Longè manīplis ! Hoc recentes
Sidere Francigenûm triumphos
Bigis in aureis Gloria promovet :
Hoc illa pulcræ premia lauræ ,
Pleniſque honorum LODOÏCO
Deproperat manibus coronas.
Huc ergo liberis ultima gentibus
Spes , & Namurco præſidium Duces
Unum ſupremis in periclis :
Eia , moras removete ſegnes.
Audimur : æris jam tuba Martium ,
Ripâ Mehennæ pretrepidi ſuper ,
Dedit ſonorem , prælioque
Protinus expediunt cruentos
Veſtræ cohortes tela micantia ,

Et ora in hoſtem verſa ferociter :
Quæ vos repentini retardat
Viſa tamen facies pericli ?
Spectator omnes huc oculos diu
Intendit Orbis : quid facilem vado
Languente tam florens juventus
Audeat exſuperare rivum.
Audetis ? an vos terrificat minans
Ferale ripâ Francus ab altera ?
En ſponte Lucemburgus æquum
Milite dat ſpatium reducto.
Et ſtatis : acres nunc ubi pectore
Virtus ſub alto quæ ſtimulos modò
Addebat, Hiſpaniſque prædam
Arva dabat Pariſina turmis ?
At, dum ſedentes arma laceſſitis,
Totas Namurco Gallicus imprimit
Mavors cohortes, & propinquis
Excidiis metuendus inſtat.
Plebs feſſa muſſant intùs, & ultimo
Se dux receſſu jam malè protegit,
Mileſque ; nec Francum ruentem
Ulla queunt prohibere tela,
Quin igne, ferroque horridus arietet
Portas ſub ipſas : perque cadavera
Confuſa cum terris cruore
Enſibus, & galeis cadentum,
Summas in arces protinus emicet ;

Ni ſueta pacem ſigna ? ſub erutas
Moles pateſcentis ruinæ,
Supplicibus, veniamque poſcant.
Nunc ite, Reges, quos agit improbus
Livor furentes, ite per oppida, &
Haud læta veſtris hæc referte
Polliciti meliora dudùm.
Turres Namurci, nec Bavaro procul,
Nec longè Ibero ſtantibus, & ſuis
Spectante cum turmis Batavo,
Imperium ſubiiſſe Magni.

IN
EXPUGNATIONEM NAMURCI
ODE
EX GALLICA V. C. N. B. D.

Auctore J. B. de Saint Remi.

QUis mentem furor impotens
Æſtu Caſtalio perculſit ebriam ?
Fallor ? num ſubito adſtitit,
De monte Aonio Pieridum chorus ?
Aſpirate Aganippides.
Cantu non ſolito quem Lyra parturit
Rupeſque & ſylvæ aſſonant :
Ferte aurem ad numeros. Vos Zephiri leves
Compreſſo fremitu procul
Audite attoniti. Borbonidem cano.
Magnos dum celebrat Duces
Immortale ſonans Pindarus, altior
Fertur nubibus arduis,
Ventoſque exſuperans, aut Aquilæ impetum
Pennis per liquidum æthera
Vulgares oculos præpetibus fugit.

Digitized by Google

At ſi me, docilis Lyra,
Audentem ſequeris quò furor abripit,
Nil tantum Rhodope audit,
Saltuſque, & gelidæ litora Thraciæ,
Quod tu non ſuperes, priùs
Inconceſſa aliis, carmina dividens.
An fatis iterum exſules
Neptunus Lycio junctus Apollini
Arcem hanc rupe ſub aſperâ.
Struxêre artifici terribilem manu?
Illam gurgite turbido
Concordes ſubeunt & Sabis, & Moſa;
Fatalemque aditum vetant:
Prærupto è ſcopulo mille tonantia
Tormenta, & ſegetem igneam,
Ardenteſque globos, atque necem vomunt;
At qui mœnibus arduis
Stant lecti juvenes horrificant diem
Funeſtis procul ignibus:
Muri fulmineâ grandine perſonant:
Flammam terra tegit ſinu
Infido, latebras indocilem pati,
Quæ victrix fremitu horrido
Immanes reſerans undique vortices,
Infandum! miſeros rapit,
Et raptos tumulo condit in igneo.
Nec quicquam impeteret tuos
Namurcum ſcopulos Græcia ſolibus

Centum : cerneret irrito
Undantes fluvios ſanguine militum.
At quis tam ſubito tamen
Se bellator agens agmina promovet
Fatale exitum parans ?
Quis circum ſtrepitus, quis rutilat nitor,
Lapſus Jupiter æthere
Rurſum immane fremens, vel Lodoïx tonat.
Ipſe eſt, teque minax petit ;
Dignus Rege decor toto habitu micat.
Triſtem Naſſavius tibi
Non vano augurio perniciem timet ;
Nil ſpes erigit anxias
Denſum agmen Batavi jam docilis jugo ;
Incaſſum Leo Belgicus,
Et Romanæ Aquilæ præſidium ſimul
Junctis viribus afferunt,
Pardorum faciles imperium pati.
Tanto ſollicitus metu
Ad bellum populos undique concitat.
Gentes indomitæ advolant ;
Illinc aurifero quà Tagus alveo
Agros Heſperia rigat :
Hinc & perpetuis quà nivibus rigent
Campi, quà mare Balticum
Horrentem glacie Norvagiam ferit.
At cur diluvium parant
Amnes ſub geminis ſidere torrido ?

Hibernis procul imbribus
Campique, & ſegetes frugiferæ natant.
Deſperata fugit Ceres,
Meſſes conſpiciens prædam Aquilonibus
Factas; ſpectat Atlantides
Tempeſtate graves tempore non ſuo,
Immenſoque ſub æquore
Merſas agricolæ divitias gemit.
Iram promite lugubrem
Et ſævite Procellæ, & Populi, & Duces:
Æther horreat imbribus,
Tellus ſanguineis militibus fremat.
Vobis vana minantibus
Namurcum valido fulmine corruet
Illo, quod dominam Liſæ
Gandavum, atque Dolam ſtravit & Inſulas,
Trajectumque Moſæ arbitram,
Ypras Audomarum, & tecta Veſontii,
Montes & Cameracium,
Turreſque innumeras, vallaque Teutonum.
Stragem non dubiam auguror.
Denſis ecce vides quaſſa tonitribus
Munimenta fatiſcere:
Mavors flammiferis vorticibus furit,
Et circum pluit ignibus,
Spargens horrifico funera murmure
Bombæ cum fremitu volant,
Clareſcuntque polo fulminis æmulæ;

Tum diro impetu decidunt,
Quo credas retegi tartareum ſpecus.
Ingens præſidium arcibus
Naſſavi, armiferæ Duxque Bavariæ
Huc huc ferte citi pedem,
Tutis en propius conſpicere omnia
Torrente oppoſito licet.
Horrendos juvenes cernite, rupibus
Nitentes rigidâ manu,
In tantis Lodoïcum aſpicite ignibus,
Ut promptus volat undique,
Et cunctos animis inpavidis replet.
Quà bellum furit acriùs,
Chriſtam Borbonidæ cernite candidam
Quæ circum volitat caput,
Et denſorum oculos provocat hoſtium.
Huic Victoria ſideri
Fixa eſt imperium prompta capeſſere;
Et Mavors comes additus
Offert conſpicuâ non ſine gloriâ
Palmam ſanguine ſordidam,
Atque ardens celeri ſubſequitur pede.
Diræ fulmina Iberiæ
Maturate gradum, magnanimi duces;
Sic eſt. Ripa Mehaniæ
Jam paſſim tegitur dira frementibus
Turmis: æthere ventilat
Torvarum auta furens ſigna cohortium:

Nunquam

Nunquam litore territo
Tam multos equitumque & peditum globos
Conſpexit. Sed enim mora
Quæ lentos retinet ? vos tacito undique
Orbis lumine reſpicit.
Quis ripam timor eſt oppoſitam ſequi ?
Latè circum aditus patent ;
Fatalique retrò litore militem
Dimovit MOMORANCIUS.
Quid ſtatis ? facies territat hoſtium
Haud pridem impavidos duces :
Lauro quam Tameſis turbibus obtulit
Indignâ malè turgidos,
Et qui ſuppoſitum ſervitio Dravum
Linquentes, ruere omnia,
Et regnum in cineres vertere deſtinant.
Hæc inter violentior
Namurci in ſcopulis incubuit metus,
Extremamque moram objicit
Defenſor, latebris conditus ultimis ;
Illum vividior premit
Gallus, circumagens & gladium & faces,
Et conieſta cadavera
Calcans, & galeas, ſparſaque rudera,
Victor per crepitantia
Tormenta enſe ſibi latum iter explicat.
Auditis ? cava buccina
Fatali ſonitu litora percutit.

Actum eſt. Jam poſuit furor,
Jam Gallo patet arx pervia militi.
Spem nunc abjicite improbam,
Et faſtus nimios ponite Galliæ
Hoſtes, non tumidi amplius;
Et junctis populis fœdere perfido
Urbis triſtia perditæ
Teſtes, voce humili, dicite nuncia.
Majores ego ſpiritus
Geſtans, ſub pedibus degenerem metum
Projeci, & ſola deſerens
Ad cœlum rapior plenus Apolline,
Indoctiſque reconditos
Fontes Æmoniæ viſere geſtiens,
Magnum, crudus adhuc ſenex,
Flaccum pone ſequar per nemora invia,
Monteſque, & ſacra ſegnibus
Hâc ignota tenus luſtra Peraltiis.

CLAUDII FRAGUERII

AD FABULLUM

VETERUM CONTEMPTOREM,

HENDECASYLLABI.

Vovi Dîs ſuperis tuas, Fabulle,
Quòd ſunt illepidæ atque inelegantes:
Sacris ignibus uſtulare chartas
Ni te flagitii tui puderet.
Quare, ſi ſapias, refige dictum.
Omittas Veteres calumniari;
Lauda Virgiliumque, Tulliumque.
Lauda delicias meas, Catullum.
Noli reſpuere Atticos lepores.
Homerus tibi ſit bonus Poëta,
Sit Plato ſapiens, venuſtus idem
Spargat mille ſales. Anacreonque
Dicatur pater elegantiarum.
Id ſi feceris, ut decet, remittam
Illos, quos modò comminabar, ignes,
Nec ultra Superis ero obligatus.
Res eſt ardua. Quis negat? ſed iſto
Vitabis pretio uſtulationem.

Verùm ne videar nimis ſeverus,
Namque gens facilis ſumus Poëtæ,
Concedo veniam tibi libenter,
Excuſes modò putidum libellum
Iſtum, cui meritos paramus ignes.
Dic te non animo malo invidoque
Te tam difficili implicaſſe bello,
Sed feciſſe mala iſta, neſcientem
Quod crimen faceres, & ut volares
Vivus inſtabilis per ora vulgi.
Dic te non ſatis eſſe literatum
Ut Græcos legere, & notare poſſis
Quis puris lepor inſit in Poëtis,
Quæ vis grandidus inſit in Poëtis.
Id ſi feceris, ut decet, remittam
Illos, quos modò comminabar, ignes,
Nec ultra Superis ero obligatus.
Fateri pudet, inquies. Bonum ſit.
Factum non pudet, & pudet fateri.
Da librum properè, puer. Venite
Sæcli quiſquiliæ, venite in ignem,
Ut vovi Superis; inuſta labes
Noſtro ne maneat perennis ævo.

EJUSDEM

AD FABULLUM

FASTIDIOSUM CRITICUM.

IAMBUS.

Fabulle noſter, delicatus es nimis.
Tibi videtur eſſe rus merum Plato.
Iliadem Homeri carmen è trivio æſtimas.
Etiam in Marone nauſeare diceris.
Tibi Catullus ille non habet ſalem.
Solos Cotinos & Cappellanos legis.
Fabulle noſter, delicatus es nimis.

EJUSDEM

AD PERALTUM

EPIGRAMMA.

E GALLICO V. C. N. B. D.

AIn', Peralte, me gravi eripuit malo
Tuus iſte frater nobilis veneficus,
Fuiſſe Medicum nempe quem narras meum?
Omitte. Nam quid vivo ſat refelleris.

EJUSDEM

AD EUNDEM.

SI quod ridiculè, Peralte, narras,
Frater iſte tuus mihi fuiſſet
Ægroto medicus; tibi liceret
Tutò Virgilioſque; Tullioſque,
Tutò Mæonidemque, Pindarumque,
Dictis figere contumelioſis.
Vel noſtrum impeteres caput, ſilerem.

CL. FRAGUERIUS

V. N. NIC. REMUNDO,

PARLAMENTI CONSILIARIO. S.

ADhortatus es me ſæpius, V. I. ut amicum noſtrum è gravi morbo recreatum Latino carmine compellarem. Quod item à me meus in illum amor flagitabat. Feci igitur ut potui, ne deſiderio tuo, ne voluntati meæ deeſſem, & hoc qualecumque carminis eſt ante pauculos dies effudi potiùs quam limavi. Fugio enim laborem, eum præſertim qui in locandis componendiſque verbis ut teſſerulis poſitus eſt. Adde quòd non ignoras me longè alio ſtudiorum genere horrido illo atque inculto detineri. Sed nihil ad rem. Verſuum enim ſi mali ſunt ſtulta excuſatio eſt. Atque hoc totum tolline an relinqui debeat judicium tuum eſto. Mihi perinde eſt, dummodo vobis perſuaſum ſit nihil eſſe quod veſtrì cauſa non ſim facturus, qui verſus fecerim. Vale.

IV. KAL. Feb. CIↃ. IↃCCX.

AD. V. C. N. BOLÆUM

è gravi morbo recreatum.

Sola ſuburbani ruris te detinet umbra
Aſſiduè, ſacrumque nemus fonteſque morantur
Laxantem curas, & carmina docta canentem,
Non ſecus ac vitreas Permeſſi Phœbus ad undas
Errat, & attentos cantu demulcet Olores.
Dicite quis Vatis veſtris Deus otia rupit
Aonides, morboque virum violavit acerbo.
Invidia erectis frontem vallata colubris.
Senſit enim pulcro Vatem indulgere labori,
Dum toties laudata refingit carmina lima
Impiger; & libro diverſa recolligit uno,
Unde per ora virûm magna cum laude feratur.
Senſit opus prodire novum, quod livida fruſtra
Mordeat; & meminit Muſis irriſa, quòd hujus
Nuper ubi extremis operum defigere dentem
Quæreret, offendit ſolido, & rabioſa receſſit.
His ſuper infrendens, mediis è faucibus Orci
Tartaream excivit Febrem, quam lurida flamma,
Lurida flamma, nigriſque agitant inſomnia monſtris;

Si poſſet duro famam pervertere leto.
Illa tibi accenſas igni depaſta medullas,
Quàm propè te eripuit nobis, divine Poëta,
Tecum Artes ipſaſque involvens funere Muſas
Impia, quas lacrimas, quæ non ſuſpiria movit!
Ipſa etiam in tenebris, & amictu noctis opacæ,
(Horreſco referens) Orci longæva ſacerdos
Mors aderat, diraſque manus falcemque parabat:
Nequicquam: neque enim tanto in diſcrimine vitæ
Deſerit illuſtres Phœbi tutela Poëtas.
Ille quidem pura juvenis deſcendit ab æthra,
Nube vehens, habilique coma conſpectus & auro,
Et laurum & citharam læva complexus eburnam.
Iſque ubi vicina Mortem reſpexit in umbra:
Non hîc ulla tuis devota eſt victima ſacris
Aſpera Mors, nec te noſtro ſine numine, Divûm
Fata ſinunt ſanctos Erebo mactare Poëtas.
Nam quia ſupremo vitas ex æthere ducunt
Naſcentes, vivaque animati pectora flamma
Divinum accipiunt ipſo de fonte furorem;
Idcirco noſtrum eſt arctis exſolvere nodis
Puram animam, & caſtis illimem reddere lucis.
Ille igitur; fati legem quandoque ſubibit,
Non cadet obſcenæ pulſatus verbere falcis:
Ipſe adero, ſolvamque manu mortalia vincla.

Ipſe legam magnæ cœleſtia ſemina mentis.
Me duce tunc, Erebo procul, & trâns rauca fluenta,
Ibit in Elyſium, quà mollibus humida rivis
Arva tenent umbræ, & ſpatiis felicibus errant,
Umbræ nobilium Vatum, quos Græcia magnis
Dives terra viris, quos Itala terra creavit:
Aſcræuſque Senex, & Dîvum interpres Homerus,
Pindarus, Auſoniæque decus Maro; quique dicaci
Perverſos hominum diſtringunt carmine mores?
Quique theatrali ſuram vinxere cothurno;
Clari omnes, tortaque umbrati tempora lauro:
Queis ultro comitem ſe ſe Racinius addit
Laude recens, primo veterum neque cedit honori.
Atque illi æternæ poſiti ſub tegmine palmæ,
(Sive lyra carmen, ſola ſeu voce ciebunt
Dum lyra vicinis pendebit plurima ramis)
Aſſurgent venienti, & prima in ſede reponent
Lumen Caſtaliæ defenſoremque coronæ.
Tum ſi quis pro laude virûm quos ultima mundi
Sæcla ferunt, vel quos jampridem exacta tulere,
Diverſas partes, contrariaque arma ſecutus,
Claruit ingenio pollens & divite vena,
Mortalis dum vita fuit, dum jurgia fervent;

Illius arbitrio componet nobile bellum,
Atque aget æternam tanto ſub judice pacem.
Si quis erit tamen interea qui lædat Homerum,
Aut alios quorum noſtro ſub numine fama eſt,
Illum ſylva teget longis horrenda cupreſſis,
Cum ſtrigibus corviſque, & rauciſono comitatu
Obſcœnarum avium, & ſola ſub nocte volantum,
Dî meliùs. Nunc vive animo gratiſſime noſtro,
Vive diu Vates, doctiſque laboribus inſta.
Olim erit ut claræ diſtinguas murmure famæ
Sæclum iſtud, neque, tot poſthac labentibus annis,
Ulla tuæ veniet ſeſe quæ conferat ætas.
Hæc ait, increpuitque lyra. Quo protinus omnes
Attonitæ peſtes, & Mors invita refugit.
Ipſe polum redit exſultans, atque æthere toto
Aurea purpurea collucet ſemita flamma.

RUS TORIGNIACUM.

ODE.

Valle in reductâ, quam ſecant rivi undique
Curſu fugaces garrulo,
Geminuſque collis munerum Bacchi ferax,
Jugo premit cinctam arduo,
Saxo vetuſto ſtructa ſe tollit domus,
Humente quam nati ſolo
Fontes & altis montibus lapſi irrigant.
Hinc prata latè roſcida
Virore rident eminus ſmaragdino.
Exurgit inde conſitus
Multâ arte lucus, ſectus & divortiis
Umbram hoſpitalem porrigit.
Medius receptat alveus fontes vagos,
Et tot coactos vortices
Volvit citatos fluctibus cryſtallinis,
De more mappæ textilis.

Hic me recepit portus, hæc ſtatio Noti
Frangit furores : hîc quies
Secura regnat fluctuum & curſus vagi.
Meliore nempe ſpiritu
Ductus, fugacis ſæculi ut fluxas opes
Penitus & excuſſi jugum;
Tum mœror atrâ ſqualibus fuligine,
Tum larva curarum abſtitit.
Dies ſerena nulla non ſurgit mihi,
Cui fons malorum exaruit.

Et æqua mens eſt, quæ diu abſentem ferat
Quem ſancta mî junxit fides.
Hic te referre namque dum ſtudeo æmulus,
Te ſiſto præſentem mihi:
Tua magna virtus ſcilicet præfert facem,
Regitque greſſus prævia.
Sic purus animos jungit innocuos amor,
Sic invicem adſunt, mutuis,
Sic ſe procul vel diſſiti, officiis juvant.
Hic nullus ardor fervido
Veſanus æſtu, nulla rationem opprimens
Vis cæca turbidi impetûs.
Hæ pectus artes chriſtianum dedecent,
Hoc igne non ardet fides.

Procul hinc & illa Tartari erumpens ſpecu ;
Ubique vox dirùm tonans ,
Macte age , labore ad alta contende arduo ,
Opes prehenſa , gloriæ
Vias capeſce. Cuncta nempe adſunt mihi
Sortis beatæ munera.
Hic inquieti ſemper exors ambitûs ,
Opibus fruiſcor , quot poli
Terræque ſpatia continent vaſto ambitu.
Mihi renident floribus
Prata , mihi puris ardet æther ignibus ,
Frugumque dives eſt ager ;

Hæc me tuentem , nec maligno lumine ,
Nec dente livor inficit.
Innocua quippe nemo gaudia excutit ,
Incedo ſimplex , omnium
Ubique amicus erro , ſemper & nova
Surgit voluptas , quà gradum
Molior. Olympum nemo meditanti obſtrepit ,
Sed aura ſola ſibilat
Leni flabello , & fontibus querulis levi
Motus lapillus murmure.

Nec horæ inertes hic mihi & vanæ effluunt ;
Lucro ſed uſque apponere
Suetus, quot alto dum fruor ſilentio,
Haurire totis ſenſibus
Documenta præſens dat Deus, docili ebibo
Et condo corde cereus.
Nec jam tumultus ulla veſanos ciet
Libido, nec flat blandiens
Sibilus inanis gloriæ. Munda omnia
Decore cœleſti nitent.
Humana ſupra ſurgere exemplo tuo
Affuſus aris geſtio.

Hic vera facies redditur rebus, cadit
Hic fucus aſtu adultero.
Larvæ fugantur Tartarus quotquot parit,
Ubi ſereno ſe fides
Prodit beato, & ſomnii præſtigias
Abſterret accenſâ face.
Jam penitus hominum umbratilis felicitas,
Et credulos quæ faſcinant
Gaudia veneno tincta lethifero, patent,
Fumiſque vanis ſpes tumens.

Mihi miſerandas ſortis humanæ vices,
Et fata vitæ lubrica
Omnis ager, omnis exprimit ruris ſtatus.
Nunc in profundo conditus
Silvæ receſſu, ſqualidam faciem intuens
Telluris almæ, floreis
Nuper nitentem mille muneribus, fide
Sapiens Magiſtrâ, cogito
Quàm ſe caduco flore ſuſtentent opes
Quas uſque veſano ſitit
Furoris æſtu cæca gens mortalium.
Doctor mihi flos eſt fugax.

Mox ut ſuperba quercuum cacumina
Viduata ſpecto frondibus,
Inambulantis quas premunt veſtigia,
Tunc ſe ſenectâ degener
Heros, vel umbris mollibus fractus, ſuæ
Et heu! ſuperſtes gloriæ
Offert legenti: aut vile contemptor genus
Et nomen extinctum propè
Procerum, regentes fata quos Regum modo
Et gentium ſuſpeximus.

Sic mente tacitus penſito ; hîc ſplendor virûm ,
Dominis poteſtas & ſuis
Metuenda , populus quam tremens expalluit ,
Quàm citò fugaci ſomnio
Diſſiliit (eheu) ſimilis , & fumo levi
Quem turbo gyro concitus
Torquet rotatum dans polo lubidria !
Obſcurus hæres , pulvere
Turpi ſepultus , nomen inviſum trahit.
Viden' , ſuperbi verticis
Cecidit corona , vix ſuperſtes arida
Frons , calce quam tundit pecus.

Nunc rigua oberrans prata , rivi mobilis
Ut ſpecto faciem , en humida
Cryſtallus , ævum in omne dum campis fluit
Curſu perenni me monet
Anguſta contra quam ſit & fati brevis
Uſura vitæ. Scilicet
Præcipitis undæ fluctus ut fluctum premit ,
Nullâ ſuperſtes guttulâ ;
Sic rapida gentes vis in occaſum rotat ,
Æterna quem ſors excipit.

Hic dum ruentes ſpecto tam volucri rotâ
Ævi volubilis dies,
Invadit animum protinus populus virûm
Ingens ubique, quem cita
Sub flore primo meſſuit Parcæ manus.
Eſt cura cunctos ſiſtere,
Et ſciſcitari cominus; ſimul & dies
Ventura quot quot demetet,
Mihi mente fingo; Funeris ſpecie horridâ
Imago terret omnium.
O ter beatum, cùm mihi meta ultima
Aderit propinquo Judice;
Præſidia ſi tunc muniant, felix quibus
Æterna captem præmia!

Magnum Parentem cuncta qui præſens fovet
Nutu potenti condita,
Omnia loquuntur, omnia invitant pio
Complecti amoris vinculo.
Sub fronde viridi volucris arguto leves
Dum mulcet auras gutture,
Ad ſimile facilem blanda me ſtimulat melos,
Et ubi parentis munere
Opibuſque vivit, ſpondet & largam mihi
Regis ſupremi dexteram.

Sic icta radiis mens, mihi cœleſtibus,
Ut ardet invictâ fide,
Felix ſine auro, præmiis, & gloriâ,
Nil præter aſtra ſuſpicit.
Quid! ille ſummus arbiter, caſu duce,
Sua dona cæcus dividet?
Quid! more noſtro durus inopes negliget,
Avarus & dives ſimul?

Non ita Paterna namque geſtans viſcera,
Adeſt bonorum prodigus.
Dextræ potenti par & indulgentia,
Fovet ſalutis qui ſuæ
Spem locat in uno & anchoram tutus Deo.
Non prolis obliviſcitur,
Muneribus orbem qui bonus cumulat ſuis;
Non ille non noſtri immemor.

Purpureus axem ſol ubi aſcendit, diem
Terris daturus aureum,
Tunc ego, rubenti totus intentus polo,
Contemplor ignes lucidos*,
Tractuſque vaſtos nubium, atque unâ face
Ubique flagrantem æthera.
Hîc mille radiis pingitur mihi conditor,
Et ubique fulget inclytum
Nomen Tonantis, qui ſibi ſtellas thronum
Globoſque lucentes facit.

Stupefactus & tot ignium fulgoribus ;
Accendit has cælo faces
(Inclamo) ſummus Artifex, cui ſol rogæ
Eſt inſtar, & lux pallii.
Sed ubi hinc aberrat animus, & terras vagus
Luſtrat patentes, protinus
Illius ingens gloria, & nomen pari
Rerum emicat ſpectaculo.
En regis iras nuntiat vaſtus fragor
Tonitru tremendo concitus ;
Et dum perrerrat fulgure æthereas domos,
Hoc igne amat clareſcere.

Quin ipſa noctis me adjuvant ſilentia,
Numenque lucet clarius.
Hic, ubi tenebris cuncta nigreſcunt mihi,
Tunc illa cœlorum patet
Domus coruſcis mille flammarum globis
Accenſa ; Tunc dum metior
Hæc vaſta Mundi ſpatia ſyderei ſtupens :
Deum loquentem, dum ſilet
Tellus & æther, audio ſtrepitu procul,
Senſus & imos vox Patris
Ut ſubeat, ipſe vel levem Favonius
Coercet auræ ſibilum.

Hæc templa Olympi, flammeo quæ fornice
Suſpenſa lætus conſpicor;
Hæc tota concors, quam rotant certæ vices
Ratione ſtabili, fabrica;
Meatus ille ſyderum, quo tempori
Lex certa conſtat & modus,
Quid ſint, & unde hic ordinis vigeat tenor,
Dum curioſus quærito:
Occurrit oculis illicò rerum optimus
Per cuncta mixtus conditor.

Mundi hujus inſtar, nunquid aſtrorum globi
Sibi quiſque mundus non erunt?
Quis tibi potentem dexteram, ſumme artifex;
Frænare demens audeat?
Fors (tacitus inſto) illic ſibi populum Deus
Et veri alumnum condidit,
Et moribus pluſquam aureis placidum fovet.
Fors orbe in illo non eget
Tonitru, rebellem quo domet veſaniam;
Et quo procaces nos ferit.

Quânam arte dexter maximos illic ſibi
Populos volentes ſubdidit ?
Cura fuit illi ſcilicet ſe prodere
Pulchris colendum inſignibus.
Num populus ille vidit ærumnas, famem,
Æſtum, ſitimque perpeti ?
Num fata miſeræ carnis & ſortem aſperam
Obire, quo diſcrimine
Pubem miſellam præſtet incolumem ſuo ?
Luſtrare num gentes, ſiti
Uſtum ſalutis publicæ ? num ſe cruci
Vitæ parentem ſubdere ?

Procul iſta Mundi vana multiplicis fides,
Inane longè ſomnium
Nunc fuge : ſalutem nempe nobis attulit
Reparator unis optimus.
Quæ fax coruſcum lumine accendit polum,
Hæc noctis umbram vincere
Apta modò fulget, atque opes nobis ſuper
Vi dives occulta dare.
Sed enim benigno ditat aſpectu fovens
Terras jacentes, & pluit
Rorem beatum, quem parum grato ſinu
Excipimus heu fœdè impii !

Alias & illa noctis obſcuræ mihi
    Imago curas injicit.
En ille pulcher (inquio) Titan ſuos
    Extinxit ignes , triſtibus
Terris & horror incubat ; ſic & dies
    Lucere nobis deſinet.
Etjam ſenectus multa quem gravem premit ,
    Incogitanti fòrs modò
Injiciet atram Mors nihil miſerans manum.
    Hæc umbra fuſco nuntiat
Velanda panno templa quàm primùm , & lares
    Pullo tegendos pallio :
Hæc flamma ſtellarum , exhibet funalia ;
    Queis pompa erit cadaveri.

Sic mihi beato vita felix otio
    Et innocens hîc ducitur ,
Dum tutum in umbra & diſſitum vulgo procul ,
    Mente meditari ſingula , &
Excutere vires abditas rerum juvat.
    Votis anhelus fervidis ,
Suſpiro Olympum , terque felices voco ,
    Quibus hic agellum ſors bona
Dedit colendum , vulgus agreſtûm ; rudes
    Hos terræ alumnos , aureum
Quibus reducit ſæculum animus integer ,
    Et pura fraudis pectora.

Proh! quis ſitire hìc gratiam, aut fluxas opes,
Diffluere vel luxu queat
Inter laborum, dura? quiſque patrios
Hîc verſat agros impiger,
Et, quæ feraci providus ſinu abdidit,
Telluris almæ munera,
Multo aucta donec ipſa reddat fœnore,
Spe dives expectat ſuâ.
Dein meſſe felix veſcitur, ſed & fames
Huic ſemper eſt obſonium.

O rus beatum! O candidos ſemper dies
Recto fluentes ſimplice!
Hic nuſquam iniquis æſtuans furoribus,
Accendit iras ambitus,
Armatque ferro dexteram ſitiens necis
Laudiſque pulchræ, quam fide
Poëta dubiâ, ſcriptor aut mendaciis
Fœtus, rependit bellico
Virûm labori. Quiſque lare tutus ſuo
Lauros cruentas deſpicit;

Lætuſque

Lætuſque avito fundulo, uſuræ impias
Ignorat artes, perfidi
Hoſtis lucelli, nec ſtudet titulos ſibi
Emace nummo adſciſcere,
Quibus ſuperbus temnat agricolas avos,
Civeſque, quos latro vorax
Hauſit, cruento calcet inſultans pede.

Nec cura mordax, nec metus,
Humiles volare cernitur circum caſas.
Dulci ſopore lumina
Operum ſolutus claudit. Haud veritus, dolo
Ne litigator opprimens
Placidum cubili excutiat, & die ferox
Dictâ trementem protinus
Adire cogat Themidis ambiguæ lares,
Triſtis feraces aleæ.

Servire nulli ſuetus è magnatibus,
Jugique, quod lex putida
Imponit, expers, otio & tenebris ſuis
Securus, & vitæ arbiter,
Horas, ut animi ſuggerit votum, exigens,
Proh! quàm propinquus Numini
Percurrit, exors labis, æthereas domos,
Humumque liber deſerit.

Hæc me (latentem quandiu hîc tenet angulus)
Noctes dieſque gaudia
Stimulant & urunt, menteque incenſâ ſemel,
Adeſſe creduntur, ſimul
Ut pulcher illa præcipit mihi ambitus.
O ter beatum & amplius,
Extrema vitæ, quæ rotâ volucri advolat,
Si meta me ſic occupet
Ad aſtra anhelum, mole nil tardum gravi!
Beatiorem centies!
Si candor & flos integer vitæ (tibi
Amice, qualis emicat)
Huc jure certo ſpondeant introgredi,
Et flammei vis ſpiritûs.

Tu tu monente propiùs afflatus Deo,
Humana cuncta temnere
Fortis, volatu libero mentis citus,
Jam pura libas Nectaris
Pocula, tuique oblitus & mortalium,
Cœlum rapis ſuſpiriis;
Votoque pluſquam montibus totis, humo
Diſſitus, & urbes & virûm
Strepitus inanes, turbidique iras freti,
In arce tutus deſpicis,
Sceleriſque purus, & tui victor, polo
Mercaris æternos dies.

GODEAU.

RUS SUCIACUM.

AD ILLUSTRISSIMUM. D. D. NICOLAUM LAMBERT, IN SUPREMO GALLIARUM SENATU SECUNDÆ LIBELLORUM SUPPLICUM DECURIÆ PRÆSIDEM INTEGERRIMUM.

Sint qui te Themidis fulgentem murice, Patres
Inter purpureos, Franci capita alta Senatûs,
Arbitrio ſortes populorum & fata regentem,
Mœoniis celebrare modis, vel pectine, certent
Dircæo. Sint qui auguſtâ gravitate ſerenum,
Et mille illecebris vincentem pectora dicant,
Auxilioque inopum caſus præſente levantem.
Hæc magnos ſtimulent laudum argumenta Poëtas;
Nos plectro leviore tuos modulamur honores:
Et tibi fors tenui ſurget molimine major
Gloria, quàm gravibus ſi quid paret ardua cœptis
Calliope, celſo nequicquam arguta cothurno.
Ruris namque tui ſanctos ceciniſſe Penates

Eſt ſatis, unus erit Vati labor, una voluptas.
Nempe ubi Suciacâ liber teris otia villâ,
Jura, Magiſtratum, trabeæque inſignia ponens:
Virtutum ſimul hanc ſedem chorus incolit omnis:
Namque loci Genio, Domini dum conſonat aſtrum,
Et nitido hoſpitibus molitur pollice mores
Blanda Charis, pulchro fluit incorrupta tenore
Fœtaque deliciis cæleſtibus, æmula Divûm
Vita tibi, & Regum fatis felicior, omnes
Exſuperat quos Patriciæ vel purpura gentis,
Vel Themidis labor atque fori circum afflat honores.
O mihi VILLERIDÆ ſi ſpiritus & tuba, pulcher
Et furor Aoniis è fontibus hauſtus adeſſet!
Muſa tuam æterno pulſaret carmine villam,
Et nemorum tractus, umbraculaque hoſpita Muſis,
Et vitreos fontes, & florea prata, ſub altâ
Aut platano, aut rivi tenuem aſſultantis ad undam,
Palladiâ canerem vinctus ſacra tempora olivâ;
Et mihi Phæacum inciperent ſordeſcere rura,
Alcinoi nec opes mirarer, quando beatum
Una quies animi faceret, quam nactus amœno
Seceſſu, magnos æquarem ſorte Dynaſtas,
Et mihi fata auro nerent felicia Parcæ.
Nunc quid agam ſævo jactatus turbine, portum
Nil niſi ſuſpirans: miſero mihi, quid pede dextro
Succedat? vix (heu) nova quæ tibi carmina fundit
VILLERIDES, Latiâ interpres do verſa Minervâ.

GODEAU.

RUS SUCIACUM.

Habens reſpondentem adverſo aſpectu Lutetiam.

O D E.

CUris ſolutum, redditum memet mihi,
Statione tutâ conditum,
Agitare totos hic dies proh! quàm juvet,
Urbis tumultu, & triſtibus
Quas aula Regum parturit nugis procul!
Proh quanta! quàm pulchra aſpici,
Populoſa pandit ſe mihi Lutetia!
Hinc in receſſu quàm placet!
Juvat intueri ut porrigit pomœria,
Cœloque turres inſerit
Superba latè. Sic mihi tota aurea
Renidet, exors artium
Tandem malorum, & illius contagii
Quod ubique mores inficit,

Vitioque mentes faſcinat. Nihil huc volat
Lethalis auræ ; candida
Nam cuncta præſtat & loci genius, fides
Et ſancta amici, quem meus
Pectoris aperti candor, & recto indoles
Incocta devinxit mihi.
Impunè verax, totus & juris mei :
Hic mentis arcana intimæ
Effutio, nullius obſequii jugo
Addictus, aut faſtidii
Leges ſuperbi veritus, aut nutus heri.

Hic fas, decorâ dum jecur
Mihi bile fervet, tundere, & faſtu & probro
Secare quos laus unica
Commendat, emptum munus, aut ſanguis Patrum
Qui degener venis fluit.
Palam hoſtis uro, quotquot inficit color
Fucis adulter ſplendidis.
Quin, uſque Domini gratiâ licet integrâ,
Sannis jociſque carpere
Quìdquid profana aut invehit licentia,
Aut ſomniis æger parit
Animus, vel error ſtolidus illudens, malâ
In vulgus inducit lue.

Hos ſibi dicavit proprios verum lares,
Hic cuncta virtuti favent,
Cuncta obſequuntur prona, nec nos ſervitus
Indigna frænat, & jubet
Probare, noſtris vel referre moribus
Quod publici præpoſterum
Cacoëthes usûs, vel decori putida
Lex indecorè ſuggerit.
Nuſquam hic maligna fœminæ veſania,
Nec garrulus regnat furor.
Fatui Potentis nec libido, nos grave
Vorare cogit tædium.

Odioſa facies nulla nos urit, nihil
Menti reluctatur bonæ.
Nemo inſolentes turpiter ſervus colit
Fortuna quos fecit Deos,
Nec ſtomachus ardens, cogitur lentus pati,
Inſulſa tot quos civitas,
Pietate fictâ ſanctulos effert polo,
Molli-ve luxu perditos
Miratur, aut terrâ erutos humeris vehit
Ad alta honorum culmina.

Nulla hic juventus barbarum in morem procax
Laſcivit, & ſtultè ferox
Suo triumphat & furit vitio ebria.
Nemo optimatum turgidus
Faſtu, ſeveram nube frontem contrahit,
Aut dum ſerenus aſpici
Ambit, ſuperbas diluens rugas, ſibi
Uſurpat os fictâ malè
Gravitate conſtans, pondus & ſupercilî
Quod nec tueri ſit potis.

Nec Themidis ullus cultor, oblitus togæ,
Mentitur enſe militem.
Longâ nec Abbas perditus laſciviâ,
Affectat artes lubricas,
Unctus capillos, totus & luxu madens;
Plebeius & nemo impudens,
Cultu Dynaſtas æmulatur ſplendidos.
Non arrogans Didaſcalus;
Fiſci redemptor nullus hic plebeculæ
Inſultat ærumnis ferox.

Ignava

Ignava ludit nulla nobilium cohors,
Quæ deſtinata frangere
Hoſtile vallum, ceu fugax tremit hinnulus,
Imbellis umbram quæritans,
Et genua ſolvi ſentit & pectus ſibi,
Ubi excitatur claſſico.
Eheu! voluptas gloriâ potior viros
Dum Frangit, arma Francicus
Et ſigna miles deſerit, veſtigia,
Ubi vel heroum premit.

Abeſt inertis pulvere indocto ſcholæ
Pubes adhuc quæ ſordida,
Jejuna callens formularum dogmata
Gnomaſque juris, arbitra
Vitæ neciſque, Themidis aſcendit Thronum;
Infracta nervos, otio
Putri ſepulta turpe ſenium contrahit,
Probrum Senatûs: & togæ
Dedecus, inanem dum ſedens ſtatuam refert;
Et ſomnolentis nutibus,
Sine mente larva dictitat ſententiam.

Non aleator hic vagus
Annos fugaces exigens inutilis,
Cunctos oberrans circulos,
Liminaque luſtrans, ſicubi vacet locus
Quo ſubſtinere tertias,
Et terrere inertes poſſit horas ludicro.
Non nympha mentis frivolæ,
Et vana ſtudiis luſitans procacibus:
Undante plumâ quam torus
Extructus altè detinet, medius polum
Cùm Sol perurit ignibus,
Viſurus idem fœminam cinctam choro,
Dulcique amorum faſcino
Inſanientem, cum freto Heſperio cadens
Extinguet ardentes rotas.

Nulla hîc inanes aucupans rumuſculos
Regnat ſuſurronum cohors,
Strepitque bombis gaudio cœca aut metu,
Imiſque nymphas fontibus
Jurgando vana territat. Compos mei
Procul tumultu garrulo,
Expecto donec publica queam fide
Eventa certus diſcere.
Nec me (ſecundum ſi quid aut iſte intulit
Caſus) boatu verberant
Lites inepto pignore aut certantium,
Aut ſtulta ſomniantium.

Non Scriptor auras gloriæ captans leves,
Amore cœcus & ſui,
Irrumpit, urgens tumidus ut Muſæ novos
Partus legenti commodem
Attentus animum, aût ipſe vel feſſus legam;
Hic nulla puri liminis
Faciem indecorè ſordidant programmata,
Dum ſcripta inepta nuntiant.
Nemo operis autor frigidi irrepens dolo,
Fert pignus aut laudem ingenî.

Virago putres nulla litterulas crepans,
Nullus Palœmon putidè
Sapiens magiſtrum, detulit palmæ decus;
Si quis ſonantem dulcibus
Numeris, & aptâ tinnientem clauſulâ,
Inanis Orator rei,
Linguam expedivit. Scilicet malus arbiter,
Inter minutam Palladis
Cenſet cohortem, aſcribit & vulgi choro,
Decore pura ſimplici
Cui vena pleno ab alveo placidè ſalit,
Nec arte nec fuco potens.

Non eſuritor, plurimus qualis ſolet;
Menſas optimas obſidens,
Ingerere ſeſe, cuncta ceu negotia
Verſare dexter, non dolis
Et fraude graſſans turba palponum, auribus
Dulci inſuſurrat murmure.
Caſta domus atras exigit peſtes procul,
Quæ dum ſequeſtras ſe ferunt
Pacis, habileſque venditant connubio
Pares amicè jungere,
Domoſque pulchrè legibus componere,
Res nulla cedit proſperè.

Nemo frequentat limen, aſſiduus Duces
Sonare magnos, infimæ
Si fœce plebis oblitus quamvis adhuc
Civis, ſui qui non memor,
Stolidus ſuperbis ſe Dynaſtis omnium
Horarum amicum jactitat,
Moreſque ſtupidæ deſpicit viciniæ,
Quod metiatur ſe ſuo
Sana pede, laudem nec putet vires ſupra
Sortemque criſtas tollere.

Abeſt & artes frivolas vanus crepans
Nugator, œſtro quem premit
Furor, parare ſi quid uſpiam affabre,
Felix laboris extudit
Dædalus, inani doctus invento viros
Pecuniis emungere.
Proh! quot malignis pelleretur ſibilis,
Cui pruriat mens promere
Onus metalli quo crumena tunditur,
Eboriſve pondus Indici,
Helleboro & aptas continendo pyxides,
Queis verticillus emicat
Specie decorus, atque fabri induſtriâ,
Et arte multâ nobilis.

Cupediarum delicatus artifex,
Cœnæ magiſter, jurium
Subtilis author, & voluptates gulæ
Creare doctus, hinc procul.
Procul & tyrannus guſtui certans dare
Menſæque leges ferreas,
Animus quod æger dictat hoc ſolum probans.
Artes culinæ nil ego
Modoſque curo, nec ſapit mihi callidè
Judex palatum quæ meri
Saliva linguæ dulciùs reſpondeat,
Subeatque venas leniùs.

Non ullus ægri credulas ſicarius
    Aures jacentis obſidiens,
Pretium veneni, quod minutis obtulit
    Globis coactum, fert vafer,
De morte magnum cum lucro expiſcans decus,
    Nec, ſi quis ægrotat leve
Quod & diæta ſanet & lenis quies,
    Pæon doloſus illicò
Adeſt miſello porrigens catapocia
    Expreſſa flammis Colchicis,
Quibus & ſupremam ægrotus accerſat diem,
    Lethum morari dum ſtudet.

Inculta nemo huc oppidi ſtudia intulit,
    Aſper vel urbanus malè,
Creans lepore tœdium illepidus ſuo.
    Nemo aulicus ſtultè arrogans
Inſultat urbi, deſpuens probro & jocis
    In civium mores ferox,
Falſo colore infidus exemplum exprimens
    Referre quod demens parat.

Nos nulla noxæ ſimilis offendunt probra;
    Aut triſtiori imagne
Species cruentæ vulnerant. Procul exulat
    Hirudo plena ſanguine
Uſura, totas eximens vulgo domos;
    Ornanſque pulchro ſtemmate.
Nemo repente dives, & felix latro,
    Populo nocere induſtrius,
Se profuiſſe civibus jactat ſuis,
    Queis intulit cladem ultimam.

Superis nec ullus hiſtrio oppedens, malus
    Fingens Dei ſe vindicem,
Quatit immerentes fulmine, aut ſemper tonans.
    Cenſor ſuperbus territat,
Amore quamvis ipſe reſtagnet ſui,
    Et circulator perfidus,
Nunc tortuoſas mille per repens vias,
    Fraudes tenebris implicet,
Pleno aut theatro, totus ad ſpectaculum
    Virtute fictâ ſplendeat.

Non hîc avara genitor afflatus lue,
Triſti catenâ filiam
Stringens gementem carceri addicit ſacro.
Non impiè latro pius,
Spoliis, cruentâ fraude quæ plebì abſtulit,
Aras & ornat & ſtruit,
Porticibus altis imprimens & limini
Nomen ſceleſtus & nefas.

Non Pompâ inanì cinctus, & multâ face
Quâ noctis umbra vincitur,
Et longa lucet ignibus mœſtis via,
Dandus ſepulchro nobilis
Senex, ſuperbo funere oſtentans opes,
Effertur, ingens ordine
Quem ponè luctu turba ſimulato ſubit,
Debere nil ultrà putans,
Sì veſte circumſtet cadaver funebrì,
Cœtuque buſtum ferveat,
Et pannus ater veſtiat ſacros lares,
Sonetque templum næniâ.

Nuſquam hîc Sacerdos pulpito legit arduus
Triſtes tabellas indices
Vincli jugalis, pulchra quod virgo ſubit
Cum dote magnâ, quam procus
Opum maritus ambit unam ducere.
Hîc nulla caſtam fœmina
Tædam erubeſcit, ſanctâ quam debet fides
Accendere igne mutuo:
Malè delicatus nullus & ducit probro
Ardere ſponſus conjugem
Quam ſorte felix conſonâ fatum dedit,
Æterna ſtringens vincula.

O rus beatum! quo licet mihi perditos
Vitare cœtus, & luem
Morum, ſuperba quam fovet Lutetia
Perſtare nam quis integer
Tot vitia contrà, tot queat contrà improbos
Urbis tumultus? hinc fides
Abeſt, & alma Veritas, Veri & comes
Cum Pace Candor exulat.
Virtutem iniqua ſervitus illic premit,
Et atra fraus fert præmium.

Illic malignus litium regnat furor,
    Stimulis lucelli fervidus.
Sceluſque (ſortis ſicubi aſpirat favor)
    Curru triumphat aureo.
Matrona flammas nutriens adultera
    Hac labe fulget pulchrior,
Et ſponſus ipſe conjugis leno, ſuum
    Volens tuetur dedecus.

Ibi Optimatum luxus immanis, viros
    Domos & ipſas devorat;
Quamvis maligni lex honoris putida
    Vetet tenaces ſolvere.
Plurimus & altos filius terræ duces
    Æquare ſumptu nititur;
Cultuque Regum nuribus oſtentat pari
    Se plebis imæ fœmina.

Legum poteſtas nulla. Nam quo durior
    Fortuna mortales premit,
Fræni impotentis hoc minùs ratio regit,
    Modumque pravi neſciunt,
Dum metiuntur luxus & protervia
    Quod erogandum fratribus
Natura juſque lege certâ dictitant,
    Sanguiſque cunctis concolor.

Illic profano ſcena ſurgens pegmate
Molles propinat fabulas,
Quæ corda ſolvant; atque Sirenum modos,
Queis ardeant medullitus.
Hic nempe Amores, & Joci, & zonam Venus
Soluta, motus lubricos
Agitant protervis impudentes gaudiis.
Hinc molle fervet ludicrum,
Quod mima meretrix, actor & laſciviâ
Fractus, venenis imbuunt.

Veſanus æſtu mentis & linguæ impotens,
Errore cœcus devio,
Proles Gigantum, plurimus nebulo, impiis
Salibus profanus & jocis
Superos laceſſit, ſicubi ſcelerum queat
Stimulos, & ungues fallere
Vulturis in alto ſævientis pectore.
Ferocienti lux micat,
Undique tenebras & cavillos diluens;
Errare ſed vult improbus.
Illi libido dira virtus unica,
Impurus & mentis furor
Fit Deus; inane ſomnium eſt legis loco,
Tenax & error criminum.

Aras & ipſas, inſidet quibus Deus;
Sanctos penates, impudens
Luxûs profani polluit veſania,
Vox ipſa præconis ſacri,
Vigoris expers, nunc inanis buccina
Præter ſonos nil parturit;
Nil niſi lepores luſitat Chriſti tuba;
Ars una flores nectere,
Medicuſque mentis auribus tantùm ſtudet,
Sermone compto tinniens.

Hic labe miſerâ quando ſeceſſus caret,
Nihilque funeſti advolat;
Quis ſtupeat altâ pace compoſtâ domo,
Regnare mentis optimæ
Gaudia, beato juncta Virtutum choro?
Hic unus omnes afficit
Guſtus, voluptas una, quam felix Charis,
Et candidus vitæ tenor
(Conſentientum fœdere) æternam facit.
Moribus amœnis hoſpitis,
Quotquot ſodales advocat Genius loci,
Sidere ſub uno conſonant.

Hinc nos & inde nobilis vicinia
Cingit frequens Magnatibus,
Queis placida ſtudiis mitibus virtus dies,
Fatis ſecundis, aureos
Nectit, beato quos & hoſpitibus ſuis
Pares tenore comparant;
Urbanitatis penitùs intincti ſale,
Semperque puri pectoris,
Erroris expers quos regit ſapientia,
Et perſpicax vis conſilî,
Præſtantiores moribus ubique integris,
Quàm præmiis & purpurâ.

Nubes Olympum nulla nobis inficit;
Auræ hunc ſalubres angulum,
Et ſol ſereno pulcher æterno beant.
Denſis opaci frondibus,
Pariete reſecto mille per divortia,
Tractus Poëtis hoſpiti,
Propinqua centum commodant umbracula:
Et ipſa picta floribus
Obambulanti prata in immenſum patent,
Quæ nec tumultu plebs vaga
Nec pulvis atro turbine obturbat putris,
Sodalis aut ſtulto ſale.

Aër procellis denſus, aut pluviæ minax
Abſterret unus, & vetat
Errare campis liberos. Nemo hîc malo
Livore toſtus, obvios
Dicteriis vel lumine obliquo ſecat:
Nec denſus occurrit globus
Sagax malignè, & mente lyncæâ vigil,
Hinc inde cunctos callidus
Servare nutus. Curioſus aſpici
Nemo ambulacri quæritat
Captare magni pulverem, & laſciviam
Mollem tuentum paſcere.

Non uſque nobis otioſum eſt otium,
Aut vita nugarum ferax.
Luſus & ipſos condit ad normam exigens
Et fruge Pallas temperans.
Quicquid valemus arte, vel ſtudio cati,
Quicquid vel uſus attulit,
Dieſve longa, quiſque conferimus penu
Facili petitum, quo decus
Accedat & vis & nitor ſermonibus.
Nec ſcurra quiſquam frigidis
Hic malè facetus ludere affectat jocis,
Aut rerum inanis garrulus.

Petulans maligni ſcommatis licentia,
Mordaxque carpendi furor,
Subire nuſquam ſidit innocuos lares.
Quin & ſuſurris ſicubi
Rumoribuſque, civitas quos parturit
Vacare triſtes cogimur,
Sic plena fructûs verba condimus, Salem
Et ſic acuti ſpargimus,
Ut & loquentes vana comitetur lepos,
Ludoque ſit compendium.

Lites cruentas, quas ſuperba protulit,
Et pervicax inſcitia,
Clamoſus irâ proprias nemo ſibi
Addicit, aut urget ferox.
Quid pertinaces dogmata æterno juvat
Dedecore inuſta proſequi?
Hic quiſque docilis obſequi, admittit jugum
Cervice pronâ, cum patet
Et tortuoſo Veritas problemate
Oraculi voce eruta.

Aliunde ſi quid diſcrepans opinio
    Sentire diverſum & loqui
Jubeat. Nihil nos lite amicâ diſſonos
    Tunc deſerit Concordia.
Quæ quiſque ſtudia, aut ludicra affectat ſibi,
    Hæc liber, & totus ſui
Juris tuetur, pondus ut mentis jubet,
    Sic vota, ſic curas regens.
Lex una Virtus, & parens Concordiæ
    Aſſueta Recto mens bona.

Levare ludo forte ſi mentem velis,
    Labore feſſus arduo:
Seu tibi ſecundus Senio faveat cadens,
    Seu quid ferat damni Canis,
Idem animus, idem eſt & voluptatis modus,
    Luduſque ſemper ludicrum.
Eſt nempe caſus aleæ res frivola,
    Nec pallidus quiſquam ſtupet,
Tapetis oras circùm & alveolum premens,
    Dum jactus infelix ſemel
Mactet ſodalem, & unus exitium ferens,
    Nummos hianti adjudicet

Si

Si quem medullas flamma cæleſtis coquens,
Inire vitæ ſemitam
Melioris urget, atque iter cœlo arduum
Patiendo dura rumpere,
Sanctos ſodales non procul lucus tegit,
Quo magnus & FIEBETUS
Clauſit beato funere extremum diem.
Impreſſa virtus ſcilicet,
Signanſque cinerem nomen auguſtum, docet
Quas alma vires det Charis,
Quidve efficaci pectus accenſum fide,
Labore poſſit conſequi.

Spirare nempe numinis plenus mihi
Adhuc videtur & loqui:
Vox & ſepulchri clauſtra rumpens, hæc ſonat,
Quid vane moliris ſenex?
Siccine fugacis ſæculi fumo ebrius,
Et ſponte ſervus, compedes
Stringere laboras vinculis ſemper novis?
Quid ſic obire vis miſer,
Renuiſque (fluxa dum tibi mundus negat)
Parare divinas opes.

GODEAU.

INDEX

RERUM HOC IN VOLUMINE CONTENTARUM.

UMBRA *Godelli*, Pag. 3

Proloquium Satyris præfixum, ad LUDOVICUM MAGNUM, v

SATIRA I. 1

SATIRA II. *Ad clariſſimum D. D. de Moliere*, 11

SATIRA III. *Cœna deſcriptio*, 17

SATIRA IV. *Ad D. D. Abbatem le Vayer*, 29

SATIRA V. *Ad clariſſimum Marchionem de Danageau*, 36

SATIRA VI. *Urbis incommoda*. 43

SATIRA VII. 52

SATIRA VIII. *Homo*, 57

SATIRA IX. *Ad ſuum ipſius genium*. 74

SATIRA X. *Conjugium*, 90

SATIRA XI. *Ad clariſſimum D. D. de Valincour*, 137

Apologia Satiræ XII. ab ipſo Autore Operi præfixa, 150

SATIRA XII. 157

EPISTOLA I. *Ad LUDOVICUM MAGNUM*, 175

EPISTOLA II. *Ad clariſſimum Abbatem des Roches*, 187

EPISTOLA III. *Ad Antonium Arnaldum Doctorem Sorbonicum*, 190

EPISTOLA IV. *Ad LUDOVICUM MAGNUM*, 196

EPISTOLA V. *Ad clariſſimum D. D. de Guilleragues*, 206

EPISTOLA VI. *Ad clariſſimum D. D. de Lamoignon*, 215

EPISTOLA VII. *Ad clariſſimum D. D. Racine*, 224

EPISTOLA VIII. *Ad LUDOVICUM MAGNUM*, 230

Epistola IX. *Ad clariſſimum D. D. de Seignelai*, 237
Epistola X. *Ad ſuos ipſius Verſus*, 247
Epistola XI. *Ad ſuum Villicum*, 255
Bolæus Racinio de ſua amoris divini vindice Epiſtola, 262
Epistola XII. *Ad clariſſimum D. D. Renaudot Abbatem*, 267
De Arte Poetica. *Cantus primus*, 285
Cantus II. 298
Cantus III. 309
Cantus IV. 330
Plutei *Liber primus*, 345
Liber V. 354
Satira III. *Cœna*, 363
Satira IX. *Ad Muſam ſuam*, 372
Epistola III. *Ad Arnaldum Doctorem Sorbonicum*, 384
Doctiſſimo & clariſſimo viro Nicolao Boileau Deſpreaux, Hendecaſyllabi, 389
Epistola XI. *Ad ſuum Villicum*, 391
Epistola X. *Ad ſuos Verſus*, 396
Ode *in expugnationem Namurcæ*, *Autore Carolo Rollin*, *Regio Eloquentiæ Profeſſore*, 403
Eadem, *Autore Lengletio*, *Regio Eloquentiæ Profeſſore*, 413
Eadem, *Autore J. B. de S. Remi*, 420
Claudii Fraguerii ad Fabullum veterum contemptorem, *Hendecaſyllabi*, 427
Ejuſdem ad Fabullum faſtidioſum criticum, *Iambus*, 429
Ejuſdem ad Peraltum, *Epigramma*, 330
Ejuſdem ad eumdem, Ibid.
Claud. Fraguerius V. N. Nic. Remundo, *Parlamenti Conſiliario*, *S.* 431
Ad V. C. N. Bolæum è gravi morbo recreatum, 432
Godelli Rus Torigniacum, 436
Ejuſdem Rus Suciacum, *ad illuſtriſſimum D. D. Nicoalum Lambert*, *in ſupremo Galliarum Senatu ſecunda Libellorum Supplicum Decuriæ Præſidem integerrimum*. 451

APPROBATION.

J'Ai lû par ordre de Monſeigneur le Garde des Sceaux un Manuſcrit intitulé *D. Godeau Carmina.* Dont une partie eſt la Traduction Latine des Satyres, des Epitres & de l'art Poëtique de Mr. Boileau Deſpreaux. Cet illuſtre Poëte François avoit vû pluſieurs de ces pieces ; il s'y reconnoiſſoit avec complaiſance ; & avoüoit ingenieuſement, que les expreſſions Latines développoient ſouvent ſes penſées, avec plus de force & d'éclat, qu'il n'avoit pû faire en notre langue. Le Public a deja fait un accueil favorable à quelques-uns de ces morceaux detachés qui ont vû le jour : je crois que ce recueil ſuivi, ſera reçu avec autant de plaiſir. Je n'y ai rien trouvé qui puiſſe en retarder l'impreſſion. Fait à Paris le 23. jour d'Août 1736. DENISE.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, Roy de France & de Navarre : A nos amez & féaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra : SALUT. Notre bien amé BARTHELEMY ALIX, Libraire à Paris ; Nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaiteroit faire imprimer & donner au public *les Oeuvres de* NICOLAS BOILEAUX DESPREAUX, *avec des éclairciſſemens hiſtoriques donnés par lui-même, à Paris mil ſept cens vint-ſix, Avec les Traductions en Vers Latins des Satyres & Epitres du même* ; s'il Nous plaiſoit lui accorder les Lettres de Privilege ſur ce néceſſaires ; of-

ſant pour ce effet de les faire imprimer en bon papier & beaux caractéres ſuivant la feuille imprimée & attachée pour modéle ſous le contreſcel des Preſentes. A CES CAUSES, voulant traiter favorablement ledit Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes de faire imprimer leſdits Livres ci-deſſus ſpécifiés en un ou pluſieurs volumes, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, ſur papier & caractéres conformes à ladite feuille imprimée & attachée ſous notredit contreſcel, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de ſix années conſécutives, à compter du jour de la date deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangére dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire vendre, débiter, ni contrefaire leſdits Livres ci-deſſus ſpécifiez, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, ſous quelque prétexte que ce ſoit d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages, & interêts. A la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion de ces Livres ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, & que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie; & notamment à celui du 10 Avril 1725, & qu'avant que de les expoſer en vente, le Manuſcrit ou imprimé qui a ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres, ſera remis dans le même état où les approbations

y auront été données ès mains de notre très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur CHAUVELIN, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur CHAUVELIN; le tout à peine de nullité des Préſentes. Du contenu deſquelles nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant, ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenue pour dûement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & féaux Conſeillers & Secretaires foi ſoit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles, tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro Chartre Normande, & Lettres à ce contraires. CAR tel eſt notre plaiſir. DONNE' à Verſailles le ſeiziéme jour de Juillet, l'an de grace mil ſept cens trente quatre, & de notre Regne le dix-neuviéme. Par le Roy en ſon Conſeil.

Signé, SAINSON.

Regiſtré ſur le Regiſtre VIII. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, No. 783, Fo. 767, conformément aux anciens Reglemens, confirmés par celui du 28 *Février* 1723. *A Paris le* 5 *Octobre* 1734.

Signé, G. MARTIN, *Syndic*

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

De l'Imprimerie de CLAUDE SIMON, 1737.

MAG 2023617

V. TH

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google